

Bibliothèque numérique

medic@

**Fallope , Gabriel . Gabrielis
Fallopii... Appendix...**

*Francofurti : typis Wecheliani apud Claud. Marnium
& heredes Ioan. Aubrii, 1606.*

Cote : 8788

GABRIELIS
FALLOPPII
MVTINENSIS
OPERVM,

QVÆ IN GYMNASIO PATAVINO DVM REM
MEDICAM ET CHIRVRGICAM MIRABILI CVM
laude & splendore profiteretur, publice docuit,

APPENDIX,

*Ad auctoris eiusdem gloriam, voluminis integritatem, studiosorum usum atque vniuersitarum
orbis Medicorum utilitatem quam maximam nunc primum in lucem edita, cum suis marginalibus
copiosissime ampliata ac gemino INDICE locupletata, quorum prior, qui prafatiunculam
immediate subsequitur, singula capita, alter vero in fine res quasuis notatu
dignas summa diligentia collectas continet.*




8.750

FRANCOVRTI,

Typis Wecheliani apud Claud. Mar-
nium & heredes Ioan. Aubrii.

M. DCVL

Cum gratia & Privilegio S. Casarea Maiestatis ad sexennium.



GABRIELIS
FALLOPII
MVTINENSIS
OPERA

QUE IN GYMNASIO PATAVINO DVBI
MANTVM ET CRISTIANAM MENTEM
SVM

LIBERVS

FRANCISCVS
FRANCISCVS
FRANCISCVS
FRANCISCVS



FRANCISCVS

Typis W. Scheubneri apud Claud. M. A.
namque Petrus de Austria

M. DCXV

Franciscus S. Scheubneri, C. de Austria



Candidis Lectoribus

TYPOGRAPHI S.



E quem vestrum, lectores beneuoli, dolus libido- que fallendi typographorum Venetorum lateat, fa- cere non potui, quin paucis eandem vobis detege- rem. Proximo enim præterlapso iubilæo, dum eos in editione secunda operum GABRIELIS FAL- LOPPII laborarem, idq; ad aures prædictorum Venetorum peruenisset, offerebant nobis nonnulla alia, quæ in eiusdem hæredum manibus inuenta fuerant, petentes, vt nostris adiungeremus, quod & acceptabamus, magnoque pretio non solum ab i- psis comparabamus, verum & Medico cuidam nostratium describenda (ita enim exarata erant, vt nemo nostrorum compositorum legere posset) com- mittebamus, & tandem, vt videre est, sub titulum tomi secundi inclusimus, hac spe freti, nihil fore reliquum, quod autori nostro adscribi posset, præser- tim cum venditores nostri id iureiurando confirmarent. Sed o detestandam auaritiam, pacti illius, quo conueneramus inuicem, plane obliti, nundinis proxime finitis autumnalibus attulerunt etiam exemplar suum, nuperrime me prorsus incscio editum, illudque tanto, vt in præfatione falso iactitât, me- lius & perfectius nostro, vt indignû omnino sit, hoc cum illo conferre. Quod nos videntes, illorumque malitiam (ne dicam perfidiam) admirantes, coacti sumus; illud viro cuidam scriptorum medicorum gnaro ad manus iradere, repertumque ab ipso fuit, quod nil, nisi ordo tractatum, & præsertim in to- mo primo, quem tamen autor ipse, dum adhuc in viuis esset, ita disposuit, es- set inuersus, pauculaque ea addita, quæ nos, ne quid etiam iis, qui autorem illum à nobis compararunt, desit, in appendicem collegimus, non dubitan- tes, lectori fore magis gratum & acceptum, quam exemplar Venetum recens editum, totque mendis interstitum, vt maiorem fere farraginem vitiorum, quam syllabarum inueneris. Et tantum de astutia typographorum Vene- torum, nostroque erga vos amore, quorum illam, quantum potestis, subter- fugite, hunc vero æqui bonique consulite, & valete.

OPPIE

INDEX ET ELENCHVS
 OMNIUM CAPITVM, QVÆ IN HAC
 APPENDICE GABRIELIS FALLOPPII
 continentur.

- CAP. I. **D**E ulcere cum intemperie sicca.
 2 De ulcere cum intemperie humida.
 3 De ulcere cum intemperie calida.
 4 De ulcere cum intemperie frigida.
 5 De Phagedana.
 6 De ulcere nomode.
 7 De cancro exulcerato.
 8 De sinu seu ulcere cauernoso.
 9 De fistula.
 10 De ambustis.
 11 De Rimis ac callis pedum ac manuum gallicis.
 12 De vulneribus capitis.
 13 De simplici capitis vulnere, id est, solius cutis.
 14 De vulnere capitis cum latione cutis & pericranii.
 15 De vulnere capitis cum latione pericranii & cranii.
 16 De vulnere capitis cum denigratione membranarum cerebri.
 17 De vulnere capitis cum inflammatione membranarum cerebri.
 18 De vulnere capitis cum abscessu tunicarum cerebri.
 19 De vulnere capitis cum sectione membranarum cerebri.
 20 De vulnere cerebri.
 21 De vulnere capitis cum cerebri extuberantia.
 22 De vulneribus faciei.
 23 De correctione turpis cicatricis.
 24 De luxatione cum conuulsione.
 25 De luxatione cum Gangrana.
 26 De luxatione recidiuante.
 27 De modo consultandi.

Finis huius Indicis

GABRIEL



GABRIELIS

FALLOPPII

MVTINENSIS,

PROFESSORIS PATAVINI,

De Ulcere cum intemperie sicca.

CAPVT I.



HANT vlcera in eisdem partibus, vel etiam in superiori aliqua, quæ non habeant causam internam coniunctam, id est fluxionem, sed intemperiem, quid erit agendum? debetis primo scire, quod huiusmodi vlcera sæpissime dantur, imo raro inuenietis vlcus, in quo, vel saltem in partibus circumpositis, non sit aliqua intemperies. In huiusmodi ergo vlcere est primo intemperies, secundo cavititas, tertio cutis ablatio, à quo igitur primo incipienda est curatio? profecto ab intemperie, quia ipsa habet rationem causæ efficientis ad reliqua: ipsa etenim præsentem naturam non generabit carnem, nec fiet cicatrix. Et ideo in omni vlcere aut magno aut paruo, quod

In vlcere cum intemperie tria reperitur.

10 habeat coniunctam intemperiem, tentanda est primo ablatio intemperiei, quæ aliquando est sicca, aliquando calida, aliquando humida, nonnunquam frigida.

Sed dicamus nunc de sicca, quæ cognoscitur aspectu: nã videbitis vlcus esse aridum, & carnes, quæ supercreuere, erunt veluti carnes salitæ rubore atriore & saturato præditæ, qualis color cernitur in salitis carnibus: aderit etiam squallor. præterea cognoscetis siccam intemperiem ex iis, quæ præcessere & acta fuere ante vestram visitationem. Verum sciatis, quod intemperies sicca raro coniungitur & visitur in vlceribus, frequentissime autem calida, frigida & humida, sicca autem raro vt dixi, nisi introducatur à chirurgo male curante, vt sæpe solet. Si ergo vltra prædicta signa sciueritis, quod vlceri applicata fuerunt medicamenta robustissime siccantia, poteritis colligere, quod intemperies, quæ adest, sit sicca: sunt enim chirurgi aliquot ita elegantes, vt cum primum vidēt vlcus aliquo modo humidum, timent de malignitate aliqua, atque ob id statim applicant medicamenta strenue siccantia, ita, vt non solum absumant carnem, quæ supercreuit, sed & propriam aliquando partium humiditatem. Cum itaque sciueritis talia fuisse adhibita medicamēta, existimare poteritis adesse intemperiem siccam, quod etiam colligetis ex habitu totius corporis, quia si habitus sit siccus, indicatur adesse intemperiem siccam.

Signa intemperiei sicca.

Cognito quod cum vlcere coniuncta sit huiusmodi intemperies, indicatur humectatio, quæ duplici ratione fieri potest, vt vel euocando humiditatem naturalem ad locum affectum, relaxatis meatibus ob siccitatem contractis atque attrahendo sanguinem ad vlcus ab aliis partibus sanis, sanguinem inquam aptum pro humectatione & repletionem vlceris: vel applicando aliquid, quod sua substantia humectare valeat & siccitatem illam auferre: Humectant prima ratione frictions & cucurbitulæ: quia fricando partes excitamus sanguinem, vt fluat ad locum: idem faciunt cucurbitulæ & balneum. Sed nec frictions, nec cucurbitulæ sunt in hoc casu opportuna, quia dolorem faciunt, & ideo recurrendum est potius ad aliquid, quod non solum possit sanguinem attrahere & euocare, sed etiam sua humiditate siccitatem demere, tale autem est balneum ex aqua purissima &

Indicatio duplex.

Humectatio medicamēta.

tepidā, quia vtraq; ratione humectat: nam tepido illo calore aperit meatus, fundit humores & sic attrahit sanguinem, imo sanguis ipse per se fluit ad vlcus: sua postmodum natura humectat aridas partes, quia natura aqua sita est in humido. Foveatis ergo vlcus aqua dulci tepida. Sed notate, quod in his, quæ geminam habent naturā, vt est aqua calida, caute est incendendum, cum sæpe soleant parere contrarium effectum: vnde Hippolytus vultur aqua calida ad siccandos humores articulorum, qui in fractis ossibus aliquando sunt. Ego quoq; quādo habeo ad manus luxatos articulos, & volo ipsos restituere in propriam sedem & non possum propter tubereula, quæ adsunt, & actionem impediunt, soleo assidere aquam calidam pro siccandis & absumendis tuberculis illis. Ne igitur aliquādo pro humectatione habeatis siccationem ex vsu aquæ calidæ, tradēda est norma aliqua certa, quam habeatis semper ante oculos, dum aqua ipsa vtimini in vlcibus cum intemperie sicca. Sciat igitur, quod aqua quando est valde calida, non dico tamen quod ferueat, sed est calida ita, vt non excitet calorem, & partes possint ipsam perferre: quando inquit, est hoc pacto calida, aperit præter modum & liquat humores eosq; resoluunt. Et ideo aqua calida in tali gradu non conuenit in vlcibus cum intemperie sicca, quia siccatur: nec conuenit aqua moderatissime calida longo tempore vlceri applicata, quoniam & aqua sub modica caliditate existens siccatur, si partes diu in ipsa morā trahant: argumento sint vobis mulieres, quæ pannos abluunt, quia ipsarū manus ex longa mora in aqua tepidissima siccantur ita, vt contrahant rugas magnas, quæ fit, quia parua illa caliditas est in causa, vt fluant humores & aperiantur meatus, quibus apertis humores, qui confluxere, ingrediuntur & resoluuntur: vnde quando volueritis vti aqua ad humectandum, oportet vt non solum sit tepida: sed etiam vt non hæreat diu parti affectæ: Ergo opus est termino, tum in qualitate, videlicet in caliditate, tum in tempore ipso applicationis: terminum autem docet Galenus in 4. meth. cap. 1. nam si vlcus sit verbi gratia in manu cum intemperie sicca & velimus ipsum fouere aqua calida, id est tepida, & nesciamus, quouſque sit vtendum tali fori, dicit Galenus, *antequam vltaris aqua, obserua diligentissime & quantitatem manus & qualitatem, id est, quanta sit ipsius moles, & qualis color, postea incipio statim vti aqua, & cum videris, quod manus incipit intumescere & eius moles augeti, colorq; immutari in rubicundum, non vltaris vltius aqua*, inquit Galenus, quia habuisti, quod volebas, nam ex vsu aquæ volebas, vt humectaretur pars; vel attracto sanguine, vel ex propria aqua humiditate: hoc assecutus es, vt patet ex quantitate manus aucta & ex colore in rubicundum mutato: aucta enim quantitas est, quia attractus est sanguis; cum sanguine autē fluxere etiam vapores sanguinei, quorum merito mutatas est color. Termini igitur qualitatē aquæ & temporis vtendi ipsa, isti sunt, & quidem certissimi, & sunt, vt dixi, auctio partis & mutatio coloris. Aqua autem possumus vti pro fomētis, similiter sub forma irrigationis, & pro balneo seu infusione: verum vsus aquæ pro stillicidio non est opportunus in vlcibus, quia excitaret dolorem: nec infusio est accommodata, quare relinquitur vt solum pro fori conueniat: foueatis ergo vlcus cum aqua tepida imbutis aqua ipsa spongiis vel panno. Sed notate, quod quamuis Galenus & alii omnes vtantur aqua tepida ad remouendā intemperiem siccam vlcis, tamen ego vtor libentius hydrelæo, id est, aqua, & oleo simul mixtis, quia præstat ea omnia, quæ præstat aqua, & multo etiā melius: quod enim oleum humectet, testis est Galenus in 5. de simpl. med. fac. cap. 5. accipiatis igitur oleum maturum, & misceatis cum aqua & faciatis fori actum calidum, & est certe optimum remedium, & præcipue si hyems sit: quia tunc est potius humectandum, quam frigefaciendum: si autem sit æstas, cum ob caliditatem ambientis sit potius refrigerandum, ego vterer libentius aqua sola: hyeme autem hydrelæo, vt dixi: sed non vterer oleo solo, quia est viscidum, hacque ratione difficile permeat per poros; at mixtum cum aqua penetrat facillime vna cum partibus aquæ: nec hyeme vterer aqua sola, quia præter illud, quod dicit Galenus lib. 3. de officin. med. comm. text. 15. quod vsus aquæ tepidæ refrigeret membra, est etiam in causa, vt humores ad partem attracti postmodum inibi refrigerentur: atq; ob id Galenus monet, vt cum aqua misceamus oleum: quia oleum claudet meatus, & nō sinet attractos humores diffari atque absumi.

Verum in vsu ipsorum obseruare debetis cum Galeno loco iam dicto, quod licet proponam vlcus cum siccitate, tamen potest esse, vt in corpore abundant mali humores, quamuis non fluant, & ideo antequam foueatis vlcus, debetis diligentissime obseruare, an adsit cacochymia, & si adsit, debetis ante fori euacuare vniuersum corpus.

Obiectio.

Notate etiam, quod de vsu aquæ videntur esse multæ cōtradictiones. Et primo quia vlcus

*Aqua calida
quomodo
vtendum ad
humectatio-
nem.*

*Notandum
Hydrelæum.*

vlcus requirit exiccantia, imo curatio vlceris, vt alias est dictum, consistit in exiccatione, vnde Hippocrates in princ. libri de vlcerib. dixit: *vlcera vniuersa humectare non oportet, nisi vino, si non in articulis fuerit vlcus: dicit etiam siccam sano propius est, humidum non sano.* Ergo vlcera non sunt humectanda, & sic malus est aquæ vsus. Præterea Galen. lib. 3. meth. ait, quod nullum humectans conueniat vlceribus. In 1. item de compos. medic. per gen. cap. 6. inquit, in summa nullum humectans vel primario, vel ex accidente vlceribus commodum est: dixit ex accidente, quoniam aliquis potuisset dicere, licet ea, quæ primario humectant, non conueniant vlceribus, tamen opportuna erunt illa, quæ humectant per accidens. vt igitur obiectioni tacite occurreret, dixit, quod nec ea, quæ per accidens humectant, sint accommodata. Item in 4.

10 meth. cap. 2. loquens de vlceribus abluendis, inquit, quod non debeamus abluere vlcera cum aqua, sed vino aut alio liquore siccante; igitur vsus aquæ est malus & fugiendus. Sed in oppositum est Galenus, qui in curatione vlceris cum intemperie sicca mandat, vt foueamus vlcus aqua, vel aqua & oleo mixtis. Hæc volui in medium afferre, ne si quando incideretis in has autoritates & locos, facescerent vobis negotium. Ad primam igitur auctoritatem Hippocratis dico, quod ipse intelligat de simplici vlcere vel vulnere sine aliquo adiuncto: vlcus enim indicat solum repletionem ex carne, quæ fit non ab arte, sed à natura: at huiusmodi repletio non potest fieri, nisi vlcus sicceatur, & ideo Hippocrates in tali vlcere, videlicet simplici, fugit humectantia; in compositis autem vlcerib. vtitur vt in 4. de artic. in vlcere cum ossè prolapsò vtitur relaxantibus, quia tunc non curat vlcus,

Solutio

20 vt vlcus, sed vlcus compositum, in quo timet conuulsionem. Ad aliam eiusdem Hippocratis cum dicit *siccam sano, humidum non sano propius est*, dico quod ipse per siccam vel siccitatem intelligat defectum sanici & sordis in ipso vlcere: nam vlcus optime abstertum proximum est vt sanetur, non autem intelligit de siccitate partium. Ad auctoritatem Galeni, quod humectantia non conueniant aut p se aut per accidens; dico, quod si Galenus hoc diceret, profecto contradictio esset manifesta & maxima, sed hoc non dicit & verba sunt immutata, nam per se & per accidens ibi referuntur ad facultatem humectandi: nolitis enim quod medicamentorum quædam humectant secundo, vt illa, quæ obstruunt vias & meatus. Et ea, quæ siccant: quædam humectant per se, qualia sunt ea, quæ laxant & habent substantiam humidam, vult ergo Galenus inibi dicere, quod in vlcere, 30 quatenus vlcus est, non conueniant medicamenta humectantia, siue humectent primario & per se, siue secundo & per accidens: sed in vlcere cum siccitate conueniunt humectantia eo vsque, donec extincta fuerit siccitas illa excedens & præter naturam, & ita non intendimus humectare, sed reducere partem illam ad naturalem temperiem.

Ad aliam Galeni auctoritatem in 4. meth. cap. 2. vbi damnat vsum aquæ: dico quod loquatur de vlcere cum intemperie humida, in quo maxime damnanda est aqua: Itaque vtamini audacter fotu ex aqua aut ex hydrelæo, & post fotum applicetis aliquod medicamentum, quod moderatissime calefaciat & humectet sua substantia: vt capiat 40 exempli gratia libram j cremoris ptisanæ & addatis folia maluarum cocta in aqua & farinant triticeam, quæ farina est certe optima, quia præter alia habet magnam similitudinem cum corpore humano, addatis igitur farinam triticeam & pinguedinem aliquam, vt vel humanam vel suillam vel aliam similem & factò emplastro applicetur. Triticum etiam ipsum est optimum, & vt verbo hoc utar, omnis panatella opportunissima est, facta scilicet ex pane optimo fermentato, sed non salito & cocto in lacte vel in oleo communi vel amygdalarum dulcium: cum aliquo igitur istorum facietis panatellam ad formam emplastri, vel cum pinguedine aliqua humectante, quæ tamen non sit rancida, quia calefaceret: vnde ad hunc vsum conueniet pinguedo anseris, gallinacea & aliæ eiusdem generis, ex quarum aliqua addita medulla panis poteritis facere panatellam in aqua & applicare. Sed si hyems sit, locus egebit etiam aliqua leni caliditate & o- 50 pus erit maiori attractione.

Calefacient moderate & humectans medicamentum.

Et ideo si vultis hæc perficere cum medicamento aliquo, capiat oleum amygdalarum dulcium vel commune & oleum abietinum & terebinthinam & ceram albam, non autem citrinam, quia nimis calefaceret, & ex his omnibus conficiatis medicamentum & applicetis: vel vtamini vno tantum ex illis oleis & terebinthina & cera, & ita habebitis medicamentum, quod attrahit, humectat & leniter calefacit. His modis remouebitis siccitatem ex vlcere.

Sed notate, quod siccitas aliquando non solum sit circa partes vlceris, sed etiam

circa alias remotiores & in toto corpore, quod patebit ex squammis, nam squammæ indicant siccitatem: cognoscetis etiam ex pluribus aliis signis, quæ non oportet, vt recenscam, cum præfertim talis intemperies facile cognoscatur. Si ergo siccitas sit etiã in aliis partibus, oportet vt remoueat ipsam cum vsu vel balnei vel aliorum, quæ iam vobis manifesta fuerunt facta tum à me, tum ab excellentissimis practicis.

Epilogus doctorum.

Colligatis igitur iam vt memoria teneatis, quod si ariditas partium coniungatur cum vlcere, vobisque cognita sit, non existente corpore cacochymo, statim deueniat ad vsu aquæ puræ tepidæ, & quotidie mane & vesperi foueatis vlcus & circumpositas partes spongia tali aqua imbuta vel linteo vel alio organo: & si non vultis aquam puram, capiat oleum & aquam, præcipue si hyems sit, nam magis fouebitur calor, diutiusque conseruabitur humiditas in illis partibus: post forum applicandû est vlceri bis in die aliquid, quod in loco permaneat, vt est emplastrum factum ex farina communi vel hordei vel ex medulla panis, vel ex foliis maluarum, addita aliqua pinguedine, quæ moderate calefaciat & habeat vim humectandi, vt est pinguedo humana, anserina, suilla, oleum ex vitellis ouorum & similia. Aliquando poteritis fouere vlcus, non solum aqua pura, vel hydrelæo, sed etiam oleo communi purissimo: nam vidi ego aliquot in vlceribus crurium malignis cum siccitate coniuncta vsos fuisse puro oleo & vlcera fuisse sanata, quia remota siccitate ex vsu olei, natura ipsa per se postea generauit carnem & cicatricem: vidi tamen deinde alios, qui vsi sunt oleo tantum & res non successit: imo pessime actum est de vlceribus illis: quare melius erit, vt vtamini aliis: remota intemperie sicca, incumbetis generationi carnis & cicatricis.

De vlcere cum humida intemperie. CAP. II.

Sicca intemperies raro adiungitur vlceribus, vt supra diximus, humida vero frequentius, & præcipue humida cum humore, id est, cum materia: videbitis enim infinita vlcera, quæ habent materiam abundãtem, & humiditatem insitam partibus, potest tamen esse vlcus rheumaticum tantum & non habere intemperiem humidam, hoc est, potest esse, quod vlcus abundet copiosa sanie aut ichore, & non habeat intemperiem humidam insitam partibus: sicuti è conuerso potest esse, quod vlcus nõ habeat copiosam materiam sanie vt aut ichorem, tamen intemperies humida erit in partibus ipsis; verum sciatis, quod raro accidat, vt cum intemperie non sit etiam coniuncta materia.

Signa.

Cognoscitur autem vlcus tale primo ex copia excrementorum: si enim videritis, quod generetur caro, & vlcus non serpat, & generetur copiosa sanies vel ichor respectu carnis genitæ, dicatis, quod adsit intemperies humida cum materia. Secundo cognoscitur ex mollitie carnis genitæ: si enim caro, quæ gignitur, sit ad tactum flaccida, mollis & veluti stupacea & ex leui detractione facta cum gollypio vel alia re, facile cedat loco atque huc illuc moueatur, indicatur adesse intemperiem humidam cum materia. Terrio cognoscitur, quia caro illa cum vix pungitur vel tangitur, statim effluit sanguis, quod indicat superabundantem humiditatem. Quarto cognoscitur ex superabundantia carnis: si enim videritis, quod copiosa caro gignatur, ita vt excedat cutim, colligatis luxuriantem naturam & ipsam esse luxuriantem in generanda carne propter intemperiem humidam.

Curatio.

Intemperie cognita, si velitis curare vlcus, oportet vt primo intemperiem auferatis, deinde explebitur vlcus carne & obducetur cicatrice. Sed antequam aggrediamini ablationem intemperiei debetis videre, an coniuncta sit fluxio humoris, vt frequentius esse solet: quod si adsit, opus est primo auferre fluxionem & materiam: quo pacto accedatis ad remotionem intemperiei cum iis, quæ siccant in secundo gradu intenso, & vsque ad medium tertii, dummodo non mordicent: talia autem medicamenta proponuntur à Galieno *lib. 1. de comp. med. per gener. cap. 9.* vbi proponit vnum tantum, sed optimum, & est lythargyrium optime & sæpe ablutum: debet autem primo abluí aceto sub sole, deinde vino, & exiccatum cum fuerit, debet inspergi supra vlcus, quia & actualis siccitas iuuabit, siccando humores illos; medicamentum hoc est profecto optimum, quia siccet sine mordicatione. Addit alia medicamenta Galenus *in 4. lib. de comp. med. per gener. cap. 1.* & sunt plumbum vstum & lotum: stibium, id est antimonium à nostris vocatum, vstum & ablutum, squamnia ferri vel chalybis vsta & diligentissime abluta, qua certe nihil est præstantius: sed prius debet exuri, deinde sub sole abluí aceto & attenuari optime, postea abluenda est aqua rosacea; addatis squammam æris, sed mordicat, ideo bis & ter debet exuri & pluries, deinde abluí, sicut ego facio, primo cum vino, deinde attenuo eã optime, post-

Lythargyrii.

Squamnia æris.

ea ter

ea t̄er & quater abluo cum aceto acerrimo; & si tale acetum non habeam, vtor aceto stillatitio, quia magis attenuat & incidit, deinde abluo cum vino, vltimo cum aqua rosacea & inde præstantissimum fit medicamentum siccans sine mordicatione.

Vltimo ex recentioribus addatis præcipitatum pluribus & pluribus vicibus abluo, quia est medicamentum cathæreticum & exedens, quod non facit lythargyrium, nec squamma nec stibium: sed si abluatur diligentissime cum vino aut aceto acerrimo aut stillatitio & aqua rosacea, est ita præstans medicamentum, vt præstantius ipso nullum reperiatur, & ego semper defero mecum ita præparatum vt nostis. His igitur corrigetis vlcus humidum, & ipsis vti potestis vel siccis inspergendo parum ipsorum supra vlcus, vel mixtis cum cerato aliquo vel vnguento.

Sed notate, quod medicamenta dicta non sint indifferenter commiscenda cum omni cerato vel vnguento: nam vnguentorum & ceratorum aliqua sunt, quæ alstringunt, alia quæ calefaciunt, alia habent vnam aut aliam facultatem. Et ideo antequam medicamenta prædicta misceatis cum aliquo aut vnguento aut cerato, siue antequam ex ipsis & aliquot aliis componatis medicamentum, considerate, an cum intemperie sit fluxus materiae, & tunc non ex quocunque dictorum poteritis recte parare ceratum, sed ex iis tantum, quæ non solum siccant sed etiam aliquantulum adstringunt, vnde lythargyrium non conuenit, licet siccet, quia caret adstrictione, squamma autem erit opportuna, quoniam habet aliquam vim adstringentem. Itaque quando aderit sola intemperies, vt mini siccantibus: sed si cum humiditate sit coniuncta fluxio, vt amini iis, quæ siccant & aliquantulum alstringunt.

Quantitas autem dictorum medicamentorum admiscenda cum ceratis vel vnguentis indicabitur vobis ab ipsa humiditate vlcis multa vel pauca & ab experientia, id est, ab actione ipsorum medicamentorum.

Solemus etiam pro remouenda humiditate abluere vlcera ipsa, quia humidum illud actu facile permeat & valde conducit. Illud autem, quo abluimus, est vinum adstringens, quia siccatur: sed si potens sit, calefacit etiam: conuenit & posca: & si timetis mordicationem, vt amini vino adstringente, in quo coquere etiam potestis ea, quæ siccant, vt pentaphyllon vtrumque & similia. Et si opus sit adstrictione & non habeatis vinum adstringens, coquat is medicamenta adstringentia in aqua, vt folia oliuarum, rosas, gallas & similia. Sed ad siccandam humiditatem deferimus nobiscum vinum, quod est pretiosum, vt dicit Galenus libro decimo de simpl. med. fac. capit. de vrinis, & est lotium ipsum, nam siccatur & attenuatur discutitque materias humidas, & si coquatur aliquantisper, erit etiam præstantius, quia ex coctura resoluta erit quædam humiditas, quam lotium habet, & redditum erit magis salsum, hacque ratione siccabit magis. Vltimo ego refugio libentissime ad aquam Aponitanam, quæ siccatur, detergit & aufert intemperiem omnem humidam sine vlla mordicatione, ita exacte sal, calx & vapores sulphurei, quæ omnia in ipsa reperiuntur, commixta sunt, quod est certe mirum: nam si sal, calx & sulphur coquantur in aqua, nunquam fieri poterit, quin decoctum mordicet. Itaque Aponensis aqua abluo ego vlcera, & nihil est præstantius. Opportuna quoque est aqua Sancti Petri & Montis groti, tamen Aponitana est præcipua & ipsi magis fido in omnibus his vlcibus. Laudantur etiam aquæ aluminosæ, vt habetis apud Galen. libr. prim. de simpl. med. fac. cap. 7. vnde si estis in locis, vbi tales sunt aquæ, vt amini ipsis, quia primum locum tenent. Si autem non habetis, paratis arte, dissoluendo parum aluminis in aqua, vel in vino, vel in decocto aliquo. His ego aufero intemperiem humidam, qua ablata repletur vlcus & cicatrice obducitur.

10

De vlcere cum intemperie calida.

CAPVT III

Calida intemperies sæpe adiungitur vlceri & cognoscitur calore, quantitate partium exulceratarum, sensu tum ægri, tum Medici, & ex iuuantibus & lædentibus colore quidem, quia rubicundus est vel subluteus: quantitate; quia membrum est tumidius redditum: Sensu, quia & æger percipit caliditatem, & Medicus etiam, dum apponit manum: à iuuantibus deinde & lædentibus, propterea quod iuuatur a frigidis & offenditur à calefacientibus.

Curatio. Cognita intemperies auferenda est per contraria, id est, per refrigerantia. Materia autem medicamentorum erit hæc: terebinthina multum & sæpe lota, oleum abietinum ablutum, posca, aqua rosacea, aqua ex violis, quibus aquis poteritis vlcus abluere: vel utramini hoc eodem modo decocto acetosæ, lactucæ & plantaginis. Oleum quoque omne refrigerans poterit esse vobis materia medicamentorum, dummodo olea sint semper optime abluta; & cum hoc vel illo oleo autem decocto poteritis miscere pompholygen optime lotam, quæ moderate siccat & refrigerat, vel cerussam lotam vel farinam hordei, vel plumbum vltum elorum, vel plumbum lotum, quod parabitur hoc modo: caplatis partium alicuius olei refrigerantis, vel decoctum vel aquam, & ponatis in mortarium plumbum, & cum pistillo plumbeo ducatis diu in mortario ipso, quo fiet, vt substantia aliqua plumbi ex agitatione illa separetur & commisceatur cum illo liquore, & hoc vocatur plumbum lotum, quo vti poteritis, quia optimum est. Si vultis aliquid medicamentum componere, faciatis hoc modo: *Rec. terebinthina nonies lota, olei rosacei abluti an. vnc. j. far. hor. cerussa lota an. drach. j. b. misce & vtere.* vel faciatis hoc modo: *Rec. ol. ros. loti, olei viol. loti an. vnc. j. b. pompholygos lota, e. plumbi loti, cerussa lota an. drach. j. cer. alb. q. s. misc.* & fiat vnguentum, quod applicetur vlceri. In partibus autem circumstantibus ponatis tetrapharmacum vel vnguentum de turia magistrale vel linimentum simplex, & deuenietis vsque ad vnguentum diapopuleon, quod in officinis vocatur vnguentum populeonis, eo quod recipiat nodos siue oculos illos populi arboris: vel applicetis circumstantibus partibus lintea imbuta oleo rofato cõpleto, vel oleo violaceo vel myrtino, vel posca vel aqua tepida. Quod si intemperies vrgeat, vt solet aliquando, ita vt non audeamus vti vnctuosus, ne pori cutis obstruantur & caliditas augeatur, vtamini aqua solatri vel aqua tepida pura & decocta vel aqua plantaginis, vel aqua rosacea vel lactucæ vel succo lactucæ, in his madefaciatis linteola & applicabitis partibus, quæ circumstant vlceri, in quibus quando intemperies valde vrget, nullo modo vtemini vnctuosus, quia ex contipatione pororum augetur intemperies præter modum. Superata intemperie non erit difficile vlcus replere & cicatrice obducere.

De vlcere cum frigida intemperie. CAP. IV.

Signa. FRIGIDA intemperies raro iungitur vlceribus & cum adiungitur, facile superatur: frequentissimæ autem sunt intemperies calidæ & humidæ. Frigida intemperies cum adiuncta est, cognoscitur colore pallido, vel liuido quantitate deficiente: non tamen quantitas & pars ipsa est ita contracta, sicut est, quando adfit intemperies sicca: pars quoque ad sensum frigida est, & frigiditas percipitur tum ab egro tum à Medico; inuatur à calefacientibus & læditur à frigefacientibus.

Curatio. Intemperies cognita remouenda est, quod præstabitur applicando vlceri medicamenta sarcotica tertii generis: poteritis etiam vlcus fouere aliquo decocto calefaciente, sed non cum aqua vitæ, vt faciunt aliqui, nam est medicamentum inutile, quia ea, quæ debilis etiam, nihil agit: quæ vero est robusta, exurit, atque tanta est tenuitas ipsius aquæ, vt statim applicata euolet & euanescat, vt ex eo etiã patet, quod si apponatur vlceri linteam madefactum tali aqua & alterum imbutum aqua pura & communi, longe citius siccabitur linteam imbutum aqua vitæ, quam imbutum aqua communi; itaque nullo pacto placeat vsus aquæ vitæ in hoc casu: sed loco ipsius poteritis vti oleo aliquo calido & fouere vlcus, vti est oleum chamomilinum & mastichinum, deinde ascendetis ad rutaceum & ad laurinum, & aliquando ad oleum illud montis Zibbi, quod est naphtha antiquorum, vocaturque vulgo oleum petrosum, vel de petra, vel de saxo, & stercus etiam diaboli à quibusdam. Hoc igitur oleo poteritis eam inungere vel fouere circumpositas partes & vlcus etiam & post fotum ponatis in vlcus terebinthinam non ablutam, vel oleum abietinum non ablutum, vel oleum de terebinthina, vel vnguentum de mattisylua, quod hac in re obtinet principatum.

Sed notate, quod quemadmodum in calida intemperie non oportet tegere vlcus multis pannis imo paucissimis, ita etiam in vlcere cum intemperie frigida est faciendum oppositum: nam oportet, vt pars exulcerata tegatur optime linteis, stappa, pellibus & similibus, quia & calor actualis iuuat ad profligandam intemperiem frigidam, quæ superata repletur vlcus & obducitur cicatrice.

De Phagedæna. CAP. V.

IN hoc capite primo notandum est, quod vox phagedæna non habeat vnam tantum
 10 significacionem; nam vt habemus apud Galenū *com. 3. 6. Epid. comm. textus 37.* phage-
 dæna denotat esum multorum & diuersorum ciborum; quando enim aliquis semper com-
 edit & plura cibaria & multa ingerit, tunc talis affectio, quæ proritat hominem ad talem
 & tantam ingestionem, vocatur phagedæna, & qui patiuntur hanc affectionem, vt dicit
 autor definitionum, habeat hoc, quod semper appetant, semperque comedant & mul-
 tum & vomant etiam: & de phagedæna in hoc significatu accepta nos non loquimur, sed
 20 loquimur de phagedæna accepta pro vlcere quodam, de quo loquitur Galenus *libr. 14.*
meth. cap. 17. & vlcus pessimum est & malignum. Nam Galenus inibi inter species phage-
 dænae reponit vlcus chironium & vlcus telephium: vlcera autem ista, scilicet telephium
 & chironium esse maligna & pessima, in superiori audiuitis. Hoc itaq; stâte colligo pha-
 gedænam esse vlcus pessimum & malignissimum & dicitur à comedendo *quod dicitur, eo qd col-*
liquet absumatq; partes, nam exedit cutim, carnes, neruos, ossa & omnes corporis partes;
 vnde Auicenna in *quarta quarti tract. 3. cap. 1.* vocat hoc vlcus non phagedenam sed vlcus
 corrosiuum vel vlcus ambulatiuū, quia ambulando procedendoue absument omnes par-
 tes, & integros aliquando artus: & istud vlcus si leuius sit & non procedat, nisi leniter &
 parum absumat, vocatur à recentiorib; vlcus ambulatiuum: si autem multum procedat &
 30 exedat, vocatur ab iisdem vlcus manducatiuum, quia manducet & absumat partes: & ali-
 quot recentiorum appellat malum lupæ vel malum lupi, quia sicut lupus edit partes ani-
 malium, ita vlcus istud absument & exedit partes humani corporis. Et notate, quod aliud
 Medicis sit lupus & aliud malum lupæ: nam lupus est vlcus quoddam, quod est cancri. I-
 gitur colligatis quod phagedæna Græcorum, vlcus corrosiuum vel ambulatiuum Aui-
 cennæ, & vlcus corrosiuum vel manducatiuum & malum lupæ recentiorum sit vnum
 & idem vlcus. Et debetis optime notate hæc omnia, vt postea legentes libros recentiorum
 intelligatis ipsos: nam & ipsi tradunt quædam medicamenta opportuna, quæ lateret vos,
 nisi intelligeretis, pro quanam specie vlceris ipsa proponant.

Phagedæna
multiplex si-
gnificatio.

Phagedæna
vlcus pesti-
mum.

Ulcus est ma-
lum lupæ que
modo dicitur
cancri.

Omnes per-
tes corporis
est huius ul-
ceris subiectum.

Subiectum huius vlceris quodnam est? nam herpetis subiectum diximus esse cu-
 30 tim & aliquando vsque ad panniculum carnosum: sicut igitur datur subiectum herpe-
 tis, ita datur & phagedænae, & est vt habemus apud Galenū *sect. 6. aph. com. aph. 45.* non
 cutis tantum, sed & nerui & carnes & ossa & omnes denique partes corporis: vnde non
 possum non mirari de excellentissimo & doctissimo Fernelio, qui in *7 suo lib. patholog. ca. 9.*
 reponit phagedenam inter affectus cutaneos: nam vnde hoc ipsum accepit, equidem igno-
 ro, qui sciam omnes Græcos velle, quod hoc vlcus non absumat cutim tantum, sed & car-
 nes, neruos & ossa & partes denique omnes: nam est vlcus procedens & absument ali-
 quando artus integros.

Causæ autem huius vlceris, quænam sunt? Secundū recentiores sunt humores pra-
 40 uii, cholericus, acutus & mortificatiui; quod humores facientes hoc vlcus sint acuti, id est, a-
 cres, exedentes & colliquantes non est dubium; at quod sint mortificatiui, id est, qd mor-
 tificent & priuent partes vita, ita vt nec sentiant nec viuant, ego non cōcedo; nam seque-
 retur qd phagedæna esset aliud vlcus nomi vocatum, in quo partes sunt denigratæ & con-
 sumptæ & mortificatæ, qd non est in phagedæna: sed hodie videbis vlcus in manu, cras
 cum detegis, videbis deficere & absumptam esse partem carnis vel nerui vel alterius. Et
 quamuis caro illa putrefacta sit nigra reddita, tamen non est sensu priuata: & ideo licet in
 phagedæne partes denigrentur, tamen non mortificantur: contra autem in nomi deni-
 grantur & mortificantur. Itaq; falsum est, quod humores facientes phagedænā sint mor-
 tificatiui. quales igitur & quinam sunt? Galenus *lib. 14. meth. ca. 17.* dicit, quod ii humores
 50 sint phagedænae causa, qui sunt medii inter puram bilem facientem herpetem & inter hu-
 morem facientem cancrum: humorem autem facientem herpetem diximus esse bilio-
 sum tenuem & aerem: humor autem faciens cancrum est atra bilis admodum exusta &
 crassissima: Ergo humor medius inter hos erit causa phagedænae. Galenus præterea in *lib.*
2. de crisi. c. 12. ait à fluxu bilis atræ fieri phagedænas, cancris & elephantiasin: Ex his ergo
 duobus locis & ex veritate ipsa colligamus, qd humor phagedænā faciens, sit humor me-
 lancholicus exustus aeris & non crassissimus: nam quando bilis flaua per exustionem red-
 ditur nigra, sed non vsq; adeo exurit, vt fiat admodum crassa, tunc talis bilis est materia
 phagedænae. Igitur dicamus, quod phagedæna sit vlcus malignissimum procedens & ex-
 edens cutim, carnes, neruos, ossa & partes omnes, factum ex atra bile tenuiore & non val-
 de exusta.

Causa.

Aduersus re-
centiores.

Quis humor
sit phagedæ-
nae causa.

Phagedæna
quid.

Corationis scopi.

His habitis veniamus iam ad curationem, in qua duplex proponitur scopus à Galeno in 14 *meth. cap. 17.* primus est, vt inhibeamus fluxionem humoris; nam phagedæna fit ex influxu humoris dicti. Secundus scopus est, vt sanemus locum ipsum exulceratum. De primo scopo dicit incipiendum esse ab inhibitione fluxionis per attemperationem sanguinis totius habitus, quod fiet primo instituta recta victus ratione, qui victus sit talis, vt retundat calorem & attemperet acridinem humoris: & ideo omnes cibi & potus debent aliquantulum refrigerare & humectare.

Inhibitionis fluxionis.

Evacuatio venæ.

Victus ratione instituta succedit, vt si videritis, quod abundet sanguis crassus & extensus, statim euacuetis ipsum per sectionem venæ, lenita tamen prius alio cum castia vel alio leniente; & si quid est, quod maxime iuuat in hoc affectu, illud est venæ sectio. Sectio venæ vel non secta, si ad sit impedimentum, vt tenella ætas vel senilis, & instituto victu, euacuandus est humor peccans per pharmacum, prius tamen præparetur cū iis, quæ moderate attenuent & attemperent humores hos peccantes, de quibus præparantibus agitur in cap. de cancro, nam eadem præparantia conueniunt in cancro & in phagedæna. Præparatis humoribus, euacuentur pharmaco, in quo casu nihil est præstantius confectio-
ne hamech admixta cum pulpa castiæ: optimum est etiam Electuarium de psyllo, Electuarium indum, El. de Sebesten completum, El. de succo rosarum, & præcipue si cum his permisceatur parum pulueris radicum ellebori nigri præparati. Sed Guido notat, quod non sufficiat vna euacuatio, sed bis, ter & quater aliquando esse repetendam, nam morbi isti antiquati sunt & fixere radices.

Alter scopus pars afflicta.

Facta euacuazione deueniendum est ad alterum scopum, scilicet ad locum affectum, vt sanemus ipsum, in quo hæc proponuntur, vt repellamus humores, siccamus & digeramus resoluamusque humores: Igitur siccandum est vlcus, & simul & semel repellendi sunt humores fluentes: inter medicamenta autem quæ possunt hæc præstare, proponitur vna ablutio optima, quæ quotidie est instituenda, quando detegitur vlcus, siue detegatur semel tantum, siue bis in die; fat est, quod quoties detegitur vlcus, abluendum est ter vel quater, pro vt opus fuerit de decocto aluminoso; dissoluatis alumen rochæ in aqua, in hac aqua abluatis optime vlcus: nam alumen siccant, adstringit ac repellit humores fluentes, qui humores repullit vel digeruntur, vel medicamento postea euacuantur: medicamento inquam dicto per os exhibitio: vel loco aquæ aluminosæ vtamini aqua chalybeata, scilicet illa, in qua pluries sit extinctum ferrum ignitum vel chalybs; hæc enim chalybeata aqua dicitur, in qua coquantur rosas, myrtillos, hypocyttidem, gallas, folia myrti, &c. quæ valde astringunt & repellunt, & hæc aqua seu decocto colato abluatis optime locum affectum, quo factò statim expleatis vlcus aliquo medicamento, quod habeat eandem vim & medicamentum sit metallicum, vt longo tempore maneat & perduret in loco, & ne cito abluatur à forde & obrundet medicamenti vis, & ideo ego soleo explete vlcus hoc puluere, *Rec. plumbi vsti & loti, antimoni præparati & loti, cor allor. rubr. vstor. & lotor. lapid. hamat. tutie an. scrup. j. squammæ eris præpar. & lot. drach. ij. myrobalar. citrin. thuris an. scrup. ij.* Thus a

Alumen.

Puluis.

Ido ad concoctionem, miscentur & teruntur optime, vt fiat puluis tenuissimus quo expleo vlcus. Si volueritis medicamentum robustius & quod non faciat magnum dolorem, non discedatis à præcipitato exulto & præparato eo modo, quo alias vos docui, quoniam nihil ipso est præstantius. Quod si hoc non habetis soleo ego loco vti istius ægyptiaco vnguento, sed temperato hoc modo: aliquando capio vnam partem ægyptiaci & duas vnguenti de tutia & simul misceo vlcusque expleo: aliquando capio tantundem vniuscuique. Tertio aliquando capio duas partes ægyptiaci & vnam vnguenti de tutia & simul misceo: & hæc tertia mistio conuenit in robustioribus habitibus: secunda in mediocribus; prima vero in tenellis, vt in pueris. Expleto vlcere vel hoc vnguento vel pulueribus dictis, impono circumcirca vlcus medicamentum, quod occupet multam partem sanam, habeatque vim refrigerandi, repellendi & attemperandi acridinem humorum: & in hoc casu vtor iisdem emplastris, quibus etiam in herpete, & illo ex lenticula, ex foliis plantaginis & germinibus rubi, vel illo ex corticibus granatorum, vel illo Celsi ex foliis hederæ vel alio Galeni ex carne cyteniorum; hæc enim omnia sunt præstantissima. Alii solent vti vnguento ex bolo armeno, quod licet bonum sit, tamen non est tale, quale requiritur, & ideo ego nunquam pro ipso emplastra dicto. Itaque in ipsis insistatis & hæc curatione vtimini, donec cognoueritis superatam esse malignitatem phagedæna, quod cognoscetis his signis; primo ex mitigatione doloris; nam cum videbitis mitigatum esse dolorem, quod solet fieri per tres vel quatuor impositiones aliquando dictorum medicamentorum, indicium est malignitatem esse superatam.

Secundum

Secundum signum est, quando non egreditur ex vlcere multa virulentia seu sanies: nam debetis scire, quod ex vlcere isto solet copiosissima virulentia effluere, ita vt non sufficiant xgro lintea: quando ergo videbitis, cohibitam esse virulentiam, dicitis superatam esse malignitatem. Tertium signum est, quando caro, quæ in vlcere est vel subortitur, est boni coloris bonæque substantiæ, non nimis dura, nec nimis mollis, hoc pariter indicat superatam esse malignitatem. Itaque persistetis in dicta & proposita curatione, quousque videritis malignitatem esse victam.

Iam superest, vt videamus, quid sit agendum, quando malignitas illa non superatur medicamentis enarratis. Dico itaque quod deueniendum sit ad vsum medicamentorum robustissimorum, & ita explendum est vlcus ægyptiaco puro, vel ægyptiaco, cui admixtum sit alumen & chalcanthum, quod ægyptiacum hoc modo mixtum in aliquibus locis vocatur ægyptiacum Auicennæ, purum autem illud est Mesuræ: Et hoc ægyptiacum mixtum cum chalcantho & alumine est medicamentum robustissimum, quod potest validissime repellere, siccare & digerere: vel loco istorum vtamini aliquo ex iis trociscis, de quibus agitur in curatione herpetis, scilicet vel trociscis Polyide, vel Andronis, vel Passionis: vel vtamini illo puluere arsenici sublimati, de quo pariter meminimus in curatione herpetis esthionensis, quo puluere vtantur recentiores, & optimum est ipsum, itaque inspergatis super vlcus & ipsum expleatis, donec superata fuerit maligna illa natura; vel deueniatis ad vsum aquæ illius, quæ fit ex arsenico, madefaciendo in ipsa linimenta & explendo vlcus, & hæc aqua præstantissima est, vel si vultis cautius rem tractare & ex mente antiquorum, legatis Galenum *lib. 4. de compos. medic. per gener. cap. 10.* vbi proponit aliquot simplicia medicamenta optima ad superandam malignitatem huius vlcis & facile parabilia.

Recentiores monent vnum, de quo non meminerunt antiqui, & est quod quando videmus malignitatem non cedere his medicamentis, deueniamus ad exustionem cum ferramentis ignitis, imo ex præcepto Auicennæ non solum aliquando pars est exurenda, sed etiam amputanda, vt seruetur vita, quod ego aliquando feci in lupa, quæ exederat iam manum & carpum & serpebat sursum, ita vt periculum erat de vita. Itaque quando malignitas non cedit medicamentis, vtamini exustione: & si exesa iam sit caro & omnes partes circa articulum & relictum sit tantum os & ipsum pariter infectum, secare ipsum. Facta exustione siue facta sit sectio, siue non, tentandum est omni studio, vt concidat crusta, non tam cum iis communioribus medicamentis maturantibus, vt optime monent recentiores, cuiusmodi est butyrum, oleum amygdalarum dulcium & similia maturantia, ab his enim tanquam à diabolo cauendum est, quia inducunt aliquam putredinem, & ita sunt in causa, vt succrescant in vlcere carunculae quædam duræ & cancerosæ: canceroso autem reddito vlcere, impossibile postea est, vt amplius sanetur, & ideo caueatis ab iis omnibus, quibus solemus vt ad faciendum, vt crusta concidat, & sunt maturantia ipsa, nam inducunt putredinem & sic cancerosum reddunt vlcus, vnde & tetrapharmacum malum est. Itaque soleo ego abluere vlcus, & crustam aqua hordei, in qua sunt decoctæ maluæ vel radicis althææ, & hac aqua calida abluo optime locum, & calore illo fouetur calor naturalis & facit, vt crusta concidat: facta ablutione non superimpono tetrapharmacum, sed medicamentum quod conficio ex terebinthina pluries abluta, cui admisceo succum apii: nam hoc siccat & non inducit putredinem: aliquando etiam admisceo vitellum oui & hoc facio, quando volo maiorem concoctionem, & vt non ita incaleseat locus; postea cum ceciderit crusta, expiendum est vlcus carne. Sed monent recentiores, vt non deueniamus ad sarcotica; nam licet siccent, tamen quia calefaciunt, sunt in causa, vt in vlcere gignantur carunculae cancerosæ & ideo applicanda potius sunt ea, quæ repellunt; nam melius est, vt tarde obducatur vlcus cicatrice, quam cancerosum fiat; & ideo monent, vt vtamini aqua aluminosa, quæ tamen sit diluitor, quam esset ea, qua superius vtreamur. Igitur accipiat aquam hordei eique imponatis parum aluminis, & hac aqua abluatis vlcus quoties ipsi medemini, deinde superimponatis aliquod quod siccat & detergat moderate, quale est plumbum vsum elotumque, vel elotum tantum & non exultum: hoc igitur poteritis inspergere: vel capiat minimum officinarum, abluatis & inspergatis; vel loco ipsius inspergatis parum foliorientalis officinarum, deinde superimponatis vnguentum de tutia, quod est diapompholygos vocatum ab antiquis: vel imponatis alterum vnguentum de tutia, quod à me vocatur vnguentum de tutia magistræ, & alias tradidi vobis descriptionem, & hoc modo procedetis, donec suboriatur caro & obducatur cicatrice. Verum sciatis, quod aliquando difficillime talia vlcera obducuntur cicatrice, & de modo obducendæ cicatri-

*Vltio in-
cisa.*

*Quomodo
vlcus fit ex-
piens car-
ne.*

*Siccans &
detergens.*

*Modus ob-
ducendæ ci-
catriæ.*

Lamina
5. Simba.

Adolus con-
ficiendi la-
minam.

cis nihil habetis apud antiquos, sed utiq; apud recentiores, & docent nos vnum, quo cicatrix gignitur in his vlceribus, cuius ego nequeo inuenire rationem, qua id præster, tamen illud efficit præstantissime, & est lamina plumbea tenuis, in qua sit mixta portio argenti viui & hanc laminam superimponunt vlceri, inibique relinquunt & cicatricem inducit: & hoc remedium ego habebam alias suspectum propter argentum viuum, tamen aliquando necessitate coactus, quia non poteram vlllo alio medicamento vlcus cicatrice obducere, expertus sum hanc laminam, & felicissimo cum successu: lamina autem est imponenda post casum escharæ à principio vsque ad finem: Quantum autem argenti viui sit admiscendum cum plumbo non docent recentiores: Ego tamen dico, quod debeat esse pauca quantitas; nam si multa esset, plumbum redderetur fragile, ita quod non posset extendi & formari in laminam: vnde soleo ego pro vna libra plumbi admiscere tres vel quatuor drachmas hydrargyri: liquefacio enim plumbum ad ignem, deinde superiniicio argentum viuum & cum refrigeratum fuerit plumbum, extendo ipsum & formo laminam, & si videam quod frangitur & non potest extendi, accipio illud plumbum, liquefacio & admisceo minorem quantitatem argenti viui, & si in priori admiscui quatuor drachmas, in hoc addo tres tantum. Aliquando actus febrilis formandæ laminæ, hoc modo, accipio plumbum, efformoque laminam tenuem & frico ipsam argento viuo in eo latere, quo debet respicere vlcus, deinde ipsam superimpono & præstantissimū est remedium ad obducenda cicatrice huiusmodi vlcera. Hæc de phagedæna, veniamus iam ad aliud genus vlcis quod nomen vel nomi appellant. 10

De vlcere nomode. C A P. V I.

Nomen quid.

NOME vlcus succedit, quod si vocabuli huius *nomē* significationem attendamus, erit vlcus depascens seu exedens. *Nomi* enim apud Græcos significat pasculum; vnde nomi vlcus dicitur illud, quod depascitur atque exedit. Sed licet vox id significet, tamen per vlcus nomi vel nome vel nomodes non intelligimus vlcus esse, quod depascitur & procedit, quia non differret ab herpete, & à phagedæna, quia & ipsa serpunt & exedunt, tamen non sunt nome vlcis. Præterea vox hæc *Nomi* in hac communiori significatione accepta non est in vsu apud Medicos græcos, præcipue apud illos, qui Galeni temporibus; vigeabant; nam vt testatur Galenus *lib. 5. de compos. medic. per loc. cap. 1. 4.* ex consuetudine aliqua accedit, vt Medici vocent nome vlcus, quod habeat putrefactionē atq; corruptelam partium coniunctam, quæ corruptio serpat ac depascatur. Et ideo dico, quod nome sit aliud vlcus, quod habet suam naturam non in depascencia, sed in alio; & in quo, declarat nobis Galenus *loco dicto*, vbi monet, quod quamuis vox hac nome significet vlcus exedens & serpens tamē vsus inualuit apud Medicos, vt pro nome intelligant morbum quendam compositum ex vlcere & gangræna, id est, cum mortificatione partis; nā gangræna dicitur corruptio & amissio vitæ partis alicuius, ita vt sit denigrata, fœreat, non sentiat, cum tamen antea haberet colorem rubicundum & sentiret. Itaq; vlcus nome dictum est morbus compositus ex vlcere & mortificatione partium vlcis, id est, labiorum & partium quæ in cauo vlcis sunt & penes mortificationem; nomi differt ab herpete esthiomene & à phagedæna; nam quamuis vlcus herpeticum augeatur, tamen partes vlcis sentiunt: similiter licet in phagedæna partes exedantur vsq; ad ossa aliquando, & denigentur, tamen partes vlcis, quæ remanent, sentiunt: at in vlcere nomode partes denigratæ sunt, fœrent & vitam prorsus amiserunt, & quamuis labium in vno latere aliquando sentiat, tamen in alio non sentiet, nec sentient partes internæ vlcis; morbus igitur iste compositus ex vlcere & gangræna, id est, mortificatione partis est ille, qui *Nomi* vel nome appellatur & de quo in præsentī agimus. Sed notate, quod nō solū vocatur nome, sed etiā, *duos nomodes* id est vlcus depascens, vocatur etiam vlcus cum putredine, vlcus igitur istud habet hoc, quod est coniunctum cum gangræna, & gangræna solet serpere & procedere, sunt enim aliqui, qui stans quibusdam temporibus solent pati vlcera in cruribus & illa quidem herpeticæ, quæ sensim augentur, sed factō aliquo defluxu ex toto corpore, reperietis postero, quando acceditis partes denigratas & mortificatas: nigredo autem & mortificatio illa solet aliquando validissime & citissime procedere, aliquando sensim: & ita vlcus nome duas habet species, vnam, in qua gangræna valide & cito serpit, alterā, in qua paulatim. Si gangræna, id est, priuatio & corruptio lente & sensim procedat, tunc tale vlcus vocatur à Celso therioma seu *therioma*: Et notate quod aliud sit *therioma* apud Celsum & aliud apud Galenum: nam vt Galenus dicit *in comm. 2. in 6. Epid. com. textus 2. 4.* *therioma* vocabant antiqui solum vlcus pulmonis, eo quod tale vlcus facit homines ferinos: nam iis qui patiuntur phthi-

phthisin, solent incuruati vngues, sicut incuruatos habent feræ, & hoc vlcus nõ intelligit Celsus per vocem illam *phthisis*, sed aliud, quod est species nomi, quando putrilago non multum serpit: altera species nomi est, quando gangræna multum serpit, & hæc species a Celfo vocatur herpes esthiomenus, vnde colligatis herpetem esthiomenum Celsi non esse vllum herpetem esthiomenum Græcorum, cuius curationem iam audiistis. Duæ itaq; sunt species *vuln*; vna, in qua gangræna non multũ procedit vocata à Celfo *phthisis* & à recentioribus barbaris vlcus putridum vel vlcus fraudulentum: altera est, in qua putrilago valde serpit, vocata à Celfo herpes esthiomenos & à recentioribus vlcus putridum vel fraudulentum inclinans ad esthiomenum, nam per esthiomenum ipsi intelligunt

10 gangrænam vel sphacelum; vocant autem hanc speciem nomis vlcus esthiomenatum, vnde notate errorem Ioannis Tagaultii, qui latinum fecit Giudonem; dum per vlcus esthiomenatum vertit vlcus manducans, & errauit, nam per vlcus manducans audiunt aliud genũs vlcis ipsi barbari recentiores, vt alias diximus.

Habitũ diuersis appellationibus huius vlcis, succedunt iam signa, inter quæ primũ locum tenet color, qui in hac vlcere nomode est liuidus vel niger; semper enim videbitis in huiusmodi vlcibus partes exulceratas esse liuidas vel denigratas. Secundo odor est fœtidissimus & intolerabilis, qualis est odor cadaueris corrupti. Tertio superficies ipsius vlcis inæqualis prorsus est: vlcus enim videbitis habens partes inæquales, & videbitis

Signa.

20 vlcus esse plenum non carunculis nec sanie, sed materia quadã corrupta & fœtente, quæ est veluti limus, præterea humor copiosissimus effluit, qui glutinosus est & fœrens & luto similis quoad colorem. Aliud signũ habeo sumptum à specillo, cui magis fido quã cuiusq; alii, & quando alia signa non pacificiunt affectum, istud solum nunquã deficit, vt si vlcus sit in parte recondita, & non possimus videre colorem nec superficiẽ, vt accedit, quãdo est in præputio; nam aliquando oritur caries in glande, intumescit præputiũ, ita quod glans nequit detegi, caries non patet & contrahit gangrænam: in sinibus quoq; muliebribus frequenter obstruuntur talia vlcera. Et tũc cum non possim cognoscere, an adsit gangræna ex aliis signis, recurro ad specillum argenteum, quem iniicio & obseruo colorem, & si, cum extraho, video colorem illum argenteum mutatum esse ad luteum vel ad subru-

30 brum, colligo certo, quod adsit gangræna, & hoc signum est adeo certum apud me, vt certius non inueniatur. Tactus quoq; per digitos & medicamẽta acria indicant, an sit cum vlcere gangræna: nam si tangatis, & non sentiat æger contactum, dicatis, quod vlcus sit nomi: si pariter imponatis medicamenta valde acria, & dicat æger se non sentire dolorem, sed prurimum quendam, indicium est, quod adsit nomi: & hoc etiam signo cognoscetis, an vlcus in abdito loco existens sit nomi, imponẽdo vel inspergẽdo aliquem puluerem acrem. His addatis, quod in vlcere nomode partes sanæ adiacentes vlceri semper sint inflammatae & inflammatio est maxima respectu vlcis: quamuis enim vlcus aliquando sit paruum, tamen inflammatio erit magna. His etiam vlcibus solet aliquando succedere magna fluxio sanguinis, quod fit, quia ob corruptelam carnis & aliarum partium aperiuntur venæ & arteriæ: His accedit febris, & rarissime fit, vt cum his vlcibus non adsit febris, & est quasi impossibile aliter esse, quia putredo comunicatur cordi per venas & arterias, & semel tantum repẽri vlcus nomode sine febre: Erat quidam qui habebat vlcus nomode in crure, & putrilago communicata erat faucibus & lingue ita quod tota lingua esset gangrænata, tamẽ nulla febris aderat, quod mihi videbatur veluti miraculum, & inde colligebam maximum esse robur cordis in resistendo illi putredini. Hæc sunt signa.

Subiectum autem huius vlcis est cutis, caro, nerui, ossa & partes deniq; omnes.

Subiectum.

Causæ proponuntur à recentioribus & dicunt eas esse humores sanguineos, crassos, prauos & ebullientes, qui ob maximum feruorem contrahunt malignam & venenosam naturam, qua mortificant partes: Et hinc est, inquiunt, quod hæc vlcera solent suboriri

50 ad carbunculos, quia in carbunculis adest sanguis iste crassus. Dicunt etiam hæc vlcera consequi ad apostemata magna. Sed si vultis causam immediatam & proximam horum vlcis, dicatis, quod causa sit corruptela caloris innati: calor autem innatus corrumpitur in hic vlcibus, vel quia humores sint, quicunq; voluerint humores, præcipue tamen melancholici, & sanguis si fuerit inflammatus, vel quia, inquam, humores putrescunt insigni putredine, ex qua putredine acquirunt venenosam naturam, quæ natura corrumpit innatum calorem: vnde videbitis in vlcibus herpeticis & phagedænicis statim superuenire mutationem, ita vt contra hanc gangrænam: & ita ex herpete vel phagedæna fiet nome, quod non aliunde prouenit, nisi quia humores effervescent insigniter & fit maxima eorum putredo, ex qua acquirunt malignam naturam corrumpentem innatũ calorem.

Causa.

Causa corruptionis caloris innati.

Altera causa corruptionis innati caloris est frigiditas summa: patet hoc ex vlcibus obortis circa pedes, & vocatur perniones: sepe enim puro existente sanguine in ipsis ob summam frigiditatem perseverantem vlcera illa corripuntur gangraena, & partes extremae corrumpuntur: vnde postea necesse est sepe digitos vel partes alias amputare. Causa igitur corrumpens calorem est summum frigus, & hoc genus vlcis nominis ex corruptela caloris ratione summi frigoris accidit praecipue in triremibus, hominibus illis, qui ob delictum aliquod inibi detinentur. Itaque duplex est causa immediata corruptionis caloris innati, vna nempe ingens putredo humorum, sit qualiscumque voluerit humor, altera summa frigiditas.

Tales sunt causae, succedit iam curatio, in qua primum, quod est tractandum, inquit Celsus est ratio victus & quies. debet enim aeger quiescere & manere in lecto & primis diebus cauere a crassioribus & solidioribus cibis, sed ut liquidioribus, & bibere aquam, ¹⁰ ut inquit Celsus, & ut summam dicam, ratio victus debet esse talis, ut attemperet feruorem, qui est in toto corpore & in partibus affectis. Somnus sit moderatus.

*Curatio.
Vitiis rati.*

Ratione victus instituta, oportet secundo loco, inquit Celsus, euacuare humores, & si plenitudo adsit, euacuatio est instituenda per sectionem venae, & quidem statim; antea tamen leniatur aluus, alioqui succederet maius malum, debetque sanguis copiosus extrahi, si magna adsit plenitudo. Quod si plenitudo non adfuerit, vel adsint contrariae indicationes ad secandam venam, deueniendum est ad euacuationem per pharmacum, & in ¹⁰ in hoc casu, idem pharmaci genus conuenit, quod proponitur in herpete atque in phagedaena, euacuans exustos & feruentes humores.

*Euacuatio-
not.*

Lenita aluo, secta vena & exhibito pharmaco, statim incumbendum est loco affecto, & prius obseruandum, an gangraena valide serpat, nec ne; si non serpat, vel parum, moderatus est procedendum in curatione: si autem corruptela multum procedat, robu- ¹⁰ tissimis medicamentis est agendum. Esto igitur quod blande procedat vel non serpat, quod cognoscetis obseruata corruptela: verbi gratia hoc vesperi & cras: si enim cras videbitis, non esse auctam gangraenam, indicium est, quod non serpat vel parum. Praeterea quando non serpat, est linea quaedam albicans & capillaris inter partem sanam, quae rubra est, & inter nigram & mortuam, si itaque adsit haec linea, dicatis, quod non serpat: si ¹⁰ autem non adsit, dicatis, quod putrilago procedat. Si itaque non serpat gangraena vel parum serpat, imponenda sunt toti parti mortificatae ea, quae valide siccant, digerant & astringant, nam facultate digerente resoluentur mali humores, per astringentem repelluntur humores fluentes: per facultatem autem siccantem coercetur maligna natura, & ¹⁰ ideo Celsus mādāt, ut statim aspergamus aloen & enanthe simul mixta, quod medicamentum habet omnes tres facultates: Igitur primo abluatis diligentissime locum aqua aluminosa, & si in ipsa cocta fuerint aliquot medicamenta, quae habeant illas tres facultates, melior erit, quae medicamenta poteritis etiam coquere in aqua chalybeata & erit praestantissima; vel in aqua salita, siue marina sit, siue salita reddita ob admixtum salem.

*Curatio loci
affecti.*

Ea autem, quae in his aquis incoquere debetis, sunt primo folia oleae viridia, quibus foliis nihil est praestantius ad intercipiendam putredinem. Secundo loco est marubium, scabi- ⁴⁰ osa sicca vel virens, radices tormentillae, radices pentaphylli, folia agrimoniae, radix aristolochiae rotundae, folia rosarum, folia betonicae, radices cucumeris asinini, enanthe, gallae immaturae, folia chamedrios: sed inter haec praecipua sunt folia ficuum; igitur incoquatis in aliqua dictarum aquarum aliquot ex his medicamentis ut duo vel tria, & huic decocto postea colato admisceatis mel rosaceum & actum calido abluatis optime totam corruptam partem: facta ablutione inspergatis puluerem aliquem ex his medicamentis, ut capiatis aloen, gallas immaturas, bolum orientalem, ebur combustum, aristolochiam rotundam, corallium combustum aequis portionibus, & facto puluere inspergatis. vel si vultis puluerem praestantissimum, capiatis folia ficuum siccata at absque combustionis, redigatis ipsa in puluerem, & fat erit; & sciatis, quod inter mediocria medicamenta ⁵⁰ nihil sit praestantius foliis ficuum, & quamuis medicamenta enarrata sint mediocria, tamen opportuna sunt non solum pro vlcere nomode non serpente vel parum, sed etiam pro ¹⁰ cis, in quibus gangraena serpit validissime, dummodo non sint in partibus cutaneis & manifestis, sed in occultis, ut in sinu muliebri, nam in locis illis abditis non est tutus usus metallicorum: insperlo puluere superimponendum est postea hoc medicamentum: *Rec. terebinthina lotae vnc. i. mell. rosacci vnc. i. farina lupinorum, lolij, an. drach. i. aloes, boli orientalis, eboris combusti. an. scrup. j.* misce & facto linimento imponatur sup partes corruptas: partibus autem sanis adiacentibus imponetis aliquod ex illis emplastris, quae diximus in herpete, siue sit illud ex capreolis vitiis, siue ex carne cytoniorum, siue aliud, sed accidit aliquando, ut affectus sit vehemens

Folia ficui.

mens & non cedat his medicamentis, & tunc veniendum est ad vehementiora, & ita ablutio cum aqua illa non erit opportuna sed capiatis aliquam dictarum aquarum seu decoctionum, & admisceatis ægyptiacum vel misceatis ægyptiacum cum vitio & optimè ablutatis locum affectum: facta ablutio inspergatis præcipitatum, præparatum tamen & ablutum, vt alias vos docui; vel loco præcipitati vtamini aliquo ex dictis trociscis, scil. Andronis, Passionis, &c. sciatistamen, quod isti trocisci debiles sunt in hoc casu, & ideo vtamini trociscis de charta combusta descriptis à Galeno, vel illis de charta pariter combusta descriptis ab Auicenna, qui sunt validissimi, & quidem validiores, quàm illi Galeni, quia recipiunt arsenicum sublimatum, & si vultis amplam materiam horum validissimorum medicamentorum pro vlcerè nomode legatis Galenum *lib. 4. de com. med. per gen. cap. 10.* & Actium *lib. 1. cap. 49.* & Paulū Aeginetam *lib. 4. cap. 44.* vel vtamini ægyptiacum simul cum arsenico mixto & cum thalcantho, vel puluere illo arsenici, vel deueniatis, vt necesse est aliquando, ad vsu ignis, vt monent recentiores; nam sæpe vlcus non cedit medicamentis: facta exustione incumbatis casui escharæ, ea ratione, qua dixi in phagedæna, non tamen cum iis, quæ nimis humectantia & calefacientia sunt, sed per ea, quæ constant ex melle, succo opii & similibus; post casum crustæ vtamini potius refrigebantibus quam calefacientibus ad regenerandam carnem & obducendum vlcus cicatrice.

De cancro exulcerato. CAP. VII.

10 **P**ost illud genus vlceris, quod habet coniunctam corruptelam & nomosum vlcus appellatur, succedit aliud vocatum *καρκίνος* vel *καρκινωμα*, hoc est, cancer vel cancerosum vlcus, qui affectus à Græcis dicitur *καρκίνος* vel *καρκινωμα* à similitudine, quam habet cum cancro animali, vt dicit Gal. *lib. 2. meth. cap. 2.* & *lib. 2. ad Glauc. cap. 10.* vbi inquit, quod talis affectus suo corpore exprimat corpus cancri animalis: quibuidam autem venis & arteriis habet similitudinem pedū cancri animalis. Auicenna autem in *Fen 3. lib. 4. tract. 2.* ex Paulo & Actio (ab ipsis enim accepit) inquit morbū hunc ideo dictum *καρκίνος* vel *καρκινωμα*, quia sicut cancer animal hæret robustissime corporibus apprehensis ita vt vix euellatur, ita vlcus istud hæret adeo partibus, quas apprehendit, vt vix separari queat. Actius præterea *lib. 16. cap. 43.* inquit hoc vlcus dictum esse carcinos vel carcinoma, quia obducatur corio & crusta quadam dura, qualis est crusta cancri animalis. Itaque tam varia est ratio appellationis huius affectus: qui affectus distinguitur à Galeno in *6. aph. 38.* Sed antequam referam diuisionem Galeni, monendi estis de vno, & est, quod si quis autor est legendus ac relegendus de re hac, est vnicus Celsus, qui fuit decus & honor Medicorum. Verum notate, quod *καρκίνος* vel *καρκίνος*; id est, cancer apud Græcos non sit idem apud Celsum, seu carcinos seu carcinoma seu cancer apud Celsum idem est, quod gangræna, & ideo quando legitur apud ipsum in *lib. 6. cap. 48.* de cancro oris, intelligatur de gangræna palati: similiter quando in eodem libro *cap. 63.* agit de cancro colis, intelligatis vos gangrænam penis: pariter *lib. 8.* quando facit mentionem de cancro superueniente fracturis & luxationibus, semper intelligatis ipsum loqui de gangræna. Itaque cancer apud Græcos & apud Celsum non sunt affectus idem; de quo nos agimus: nam nos agimus de cancro prout accipitur à Græcis, qui cancer à Celso vocatur non cancer sed carcinoma, & huius facit tres species ipse Celsus in *lib. 5. cap. 28.* quatum vna vocatur cacoithes, id est, male morata, & hunc cancrum dicit esse sanabilem, altera species vocatur carcinoma, quam dicit esse incurabilem, cuius si quis tentet curationem ipsam potius irritare & augere. Tertia species vocatur carcinoma thimium seu vlcus thimium, & hanc specie dicit omnium esse sanissimam: sed hanc vocem thimium notate, quod aliud nempe sit vlcus thimium & aliud thimium apud Celsum ipsum: nam thimium simpliciter est species verrucæ, vlcus autem thimium, est species cancri, quam dixi, & vti habemus tres species cancri apud Celsum, ita & recentiores & barbaros; nam prima species vocatur ab ipsis Saphiron, id est, 20 idem quod cacoithes apud Celsum: igitur Saphiron Auicennæ & Squalium & cacoithes sunt vnus idemque affectus, carcinoma autem apud Celsum est illa species cancri que ab ipsis vocatur cancer sine vlcere; vlcus autem thimium Celsi est idem, quod cancer exulceratus apud istos. Hęc est diuisio cancri secundū Celsum & barbaros. Galenus autem, vt dicebam, distinguit & ipse cancrum in occultū & manifestum, & nulla alia differentia cancri reperitur apud Galenum, & per occultum intelligit duo, cancrū scil. exulceratum, qui tamen latet in aliqua cavitare corporis, vt in palato, in cavitare narium, genatum, in intestinis, in liene, hepate, vesica, in vtero & huiusmodi partibus: secundo intelligit cancrum non exulceratū etli sit in superficie & tumor ipse perspicuus: manifestos autem cancrum vocat eos, qui sunt in superficie corporis & conspicui, siue sint ex-

Fortiora.

Ratio nomi-
ni.

Cancer Celsi.

Carcinoma
Celsi esse
Græcorum
canerum.Cancer tres
species fecer-
unt Celsum
& barbaros.Diuisio Ga-
leni.

*Diuisio re-
centiorum.*

ulcerati, sine non. Et quamuis cancer secundum Galenum ita distinguatur, tamē recentiores diuidunt etiam hos caneros ratione partium affectarum; nam si cancer sit aliqua parte faciei, vocant Noli me tangere & cancrum etiam: si autem oriatur circa coxas vel humeros vel alias carnosas partes, vocant lupum, vel morbum lupi & cancrum, quia exedit carnosas partes: si autem oriatur circa truncum, vt circa abdomen vel circa thoracem, appellant nō solum cancrum, sed etiā cingulū, vt videre est apud Rogeriū, & merito vocant cingulum, vel nimis stringit partes illas. Et quis sint plures species cancri, vt dictū est, tamen debetis scire, quod nos loquamur tātum de exulcerato, cuius exulcerati cancri loquentes isti proponunt vnā diuisionē, quā ego non admitto: dicunt enim, quod exulceratorū vnus sit benignus, alius malignissimus: sed ego dico quod omnis cācer sit intense

*Omniem cā-
cram esse
malignum.*

malignū, exercitiās agrū & Medico difficilis cognitu aliquādo & lōge difficilior curatione. Cognoscitur tamen per sua signa & primo tumore, nam si æger patiatul exulceratum cancrum in aliqua parte conspicua, conspiciatis vlcus ipsū & videbitis, quod circumcirca sit tumor. Secundo accipiuntur signa ex colore; nam color est obscurus, fuscus, lituidus, inclinans ad nigredinem, & eiusdem coloris sunt etiam labia ipsius vlceris, & color huius vlceris est ita varius & malus, quod primo intuitu incutit timorē ipsi Medico, quicūq; ille fuerit, ita inæqualis & multiplex color est. Præterea debetis apponere manū & obseruare calorē vlceris & partiū illarū, qui calor, si vlcus sit canerosum, erit acutus & exurens, si videlicet aliquantisper manū detineatis in loco, ita quod videatur quasi calor ferri candentis. Tertio inspiciatis venas & arterias ambientes vlcus, quæ si referunt pedes cancri animalis, habeatis pro certo, quod affectus sit cācer. Sed notate, quod hoc ponitur ab omnib; pro signo certissimo & ppetuo cancri, ita quod nullus sit cancer, qui nō habeat hoc signum. Verum ego vidi tantum decem caneros, in quibus venæ & arteriæ non referebant similitudinē pedum cancri animalis, & in hoc signo vidi multos errare; nam sepe non videntes hoc signum, putant affectum non esse canerosum, cum tamē sit vnde dico quod hoc signum non sit perpetuum, quia nō in omnib; partibus venæ & arteriæ sunt copiose & orbiculariter circa partem dispositæ, sed circa mammæ, cū vasa ambiant corpus mammillare, necessario, si adsit cancer in ipsis, aderit etiam tale signum; cōtra autem in brachio, cum vasa sint per longum collocata, non aderit cum cancro hoc signum: nec in cancro circa palatum videbitis hoc signum, quare dico, quod signum hoc non sit perpetuum: verum tamen est, quod quoties adest, necessario indicet cancrum.

Signa.

Signa.

Ab exeuntibus.

Quarto addatis, quod in cancro labia vlceris sunt inuersa & cauernosa; debetis enim scire, quod labiorum vlcerum aliqua sint æqualia & paria; alia conuulsa & inuersa, at horum aliqua inuertuntur ad exteriores superioresq; partes, aliqua ad interiores. Dico itaq; quod in cancro labia sint inuersa ad internam cauitatem ita vt sub ipsis sit cauerna, vtili loquuntur, quæ cauerna percipitur ex iniecto specillo.

A dolore.

Ab exeuntibus etiā accipiuntur signa cancri, vt à sanie, quæ è cancro egreditur, vt plurimum tenuis & aliquando aquosa, aliquando nigra & veluti limus, non ita tamen crassa, aliquando flaua. Odor autem saniei est intolerabilis; ita etiam odor vlceris, vt aliquando Medicus, qui non est assuetus tali fœtori, non possit perferre.

A medicamentis.

Dolor adest intolerabilis, & primo est pungens, deinde aggrauans, sed grauedo semper adest, punctio autem non est continua: continuo autē dolor est talis, vt videatur adesse aliquod graue corpus comprimens, & sepe sepius percipitur & redit cessatque dolor pungitius, ita vt in vlcere videantur esse acus transeuntes ex vna parte in alterā, sed tales puncturæ non sunt continuæ, sed, vt dixi, periodica.

Causa.

Addatis etiam signum acceptum ex ratione medicationis: nam si casu Medicus applicauerit medicamentum aliquod, quod parum possit mordicare, quale est vnguentū lūdis, vel quid simile, & aucta sit inflammatio, & factus sit maximus dolor & vlcus magis serpat, habeatis pro certo signo, quod vlcus sit cācerosum. Cancrorū autem alii per se oriuntur, alii subsequuntur ad vulnera vel ad vlcera male curata. Et hæc de signis sufficiant.

Causæ autem quæ nā sunt: dico quod vna tantum sit causa immediata proposita à Galeno in libello de tumorib; præter nat. c. 7. 9. & 12. & lib. 2. ad Glauc. cap. 10. & est humor melancholicus putrescēs, q̄ decubuit in loco, nā decubens feruet, feruēs sit acris & exedit substantiam, & nisi effrueretur talis humor, non faceret cancrum etsi decubisset in partē aliquam, sed quomodo decumbit ad partem: Galenus lib. 2. ad Glauc. cap. 12. inquit, quod talis humor decumbat vel quia attrahatur ab aliquo medicamento acris, vel ratione intemperiei summæ introductæ in parte ipsa, quæ intemperies gignat inibi talē humorem, quæ intemperies solet introduci vel ratione exustionis factæ cum ferro candente, vel ratione applicationis medicamenti alieuius intense calidi: sed raro fit, vt introducatur tan-

lanta intemperies, quæ sit apta generare talem materiam, quæ faciat cancerum; ut plurimum autem cancri oriuntur, quia tales humores abundant in toto corpore: causæ autem abundantiae horum humorum est ratio victus, ut usus carniū bouinarū crassarum, usus salitorū, cochlearū, carnis asinæ & aliorū quæ generant tales humores melancholicos; igitur succus melancholicus acris, præter quod est causa materialis, est etiā efficiens causa immediata cancri. Sunt & aliæ causæ, sed mediata & remota, ut suppressio alicuius euacuationis, ob quam causam sæpe cancri accidunt mulieribus, & ex centū nonaginta patiuntur cancerosa vlcera in oculis, at præcipue circa mammæ, ita quod mammæ videantur sedes suppressi menstrui. Et certe si qua ex causa ob hanc præcipue miseræ mulieres sunt dignæ

*Causa medi-
ata plures.*

comiseratione, quod sint obnoxie morbo tam periculoso. Igitur suppressio mēstruorum & hæmorrhoidum est sæpe in causa cancri, quia melancholicus succus coaceruatus & suppressus putrescit & feruorem contrahit. Aliquando fiunt cancri, quia corpus est ita dispositum, quod generat tales humores aptos ad cancerum faciendum, ut accidit, quando habitus est calidus & siccus, vel gignantur tales humores propter ætatem; & ideo senibus & vitis accedentibus ad senectutem solent accidere cancri. hæc de causis.

Præfagium autem & indicium quod nam est: quoties videbitis cancerum esse exulceratum, & in occulto loco, dicatis, quod omnino sit incurabilis, & hoc tam certo pronunciare potestis, sicut quod omnia cordis vulnera sunt læthalia; nemo enim est, qui viderit vnquam sanatum esse cancerum in utero vel in palato, vel in intestinis & huiusmodi aliis

Præfagia.

*Canceri in-
curabilis
qui.*

partibus, & ideo isti etiam cancri possent vocari noli me tangere: Igitur omnes cancri in parte abdita sunt insanabiles, & ideo fugiatis ipsos. Si autem cancer sit in mammis, oportet, ut videatis, an hæreat pectori, nec ne, quæ cognoscetis, si apposita manu deducetis mammam ex pectore; nam cum deducitur, & simul etiam pars exulcerata: signum est, quod non hæreat thoraci; contra, quando non deducitur, si igitur cancer hæret thoraci, dicatis, quod sit insanabilis, etiam si sit manifestus & in parte conspicua, & causa est magnitudo vasorum respectu loci, quæ vasa inibi sunt, & oriuntur alia ex venis & arteriis perreptantibus per internam cavitatem thoracis, alia ex venis & arteriis circa iugulum, & ideo quando cancer hæret thoraci, habet hæc vasa apprehensa, & ut isti dicunt, infiltrata: cum autem opus sit sectione, sequitur quod sectis vasibus illis ortis ex illis perreptantibus per cavitatem thoracis inter spatia costarum homo iugularetur ex magna sanguinis effluxione. Sed dices, ego facta sectione, ne hoc sequatur, intercipiā vinculo vasa ista. Galenus

Obiectio.

respondet, quod ex interceptione etiam moreretur homo, quia ob sympathiam communicaretur affectio, & dolor partibus, quæ sunt circa cor. Sed dices porro, ego non secabo nec ligabo vasa, sed utar medicamento caustico, & ita potero curare affectum, ut ego aliquando sum usus, & ita auferam illud totum, quod corruptum est. dico quod non sit tunc uti caustico, quia affectio communicaretur intimis partibus: Igitur cancer in mammis, si hæreat thoraci, est prorsus insanabilis: si autem non hæreat, potest quidem sanari, sed difficillime & maxima adhibita diligentia.

Solutio.

Si cancer sit in aliis partibus, videndum est, an sit infiltratus (ut utar voce barbarorum)

nec ne, & per cancerum infiltratum intelligunt illum, qui hæret iam nervis, arteriis & venis illasque apprehendit. Si igitur cancer sit circa inguina, & iam corripuerit vasa illa profundiora & magna, dicatis, quod sit insanabilis. Præterea si cancer infiltratus sit faucibus: Igitur cancri infiltrati non sunt sanabiles. In reliquis autem partibus existentes & non infiltrati, nec existentes in cavitare aliqua abdita, possunt quidem sanari, sed maxima cum difficultate, quomodo autem, dicam nunc. Quia igitur omnia, quæ aguntur, recte aguntur, quando diriguntur in rectos & certos scopos, videndum est, qui nam sint scopi & quot inspiciendi in hac curatione, quæ difficillima est. dico igitur, quod duo scopi sint traditi a Galeno

*Duo scopi
curationis.*

lib. 14. *Method. cap. 9.* quorum primus respicit affectum ipsum, alter vero causam & communiora illa; hi sunt duo principales scopi: dicam primo de communioribus illis. Cancer est vlcus phagedænicum & de genere vlcerū serpentium, quoniam semper procedit & augetur: hoc cum ita sit, colligo morbum hunc non semper consistere in eodem statu, sed continuo crescere & esse semper in motu, & cum dixerim immediatam causam huius affectus esse humorem melancholicum ad locum fluentem & feruentem, & morbus continuo augeatur, colligo causam semper esse præsentem: hoc stante, scopus erit remouere causam, scilicet. inhibere fluxionem humoris & facere, ne humor putrescat & ferueat in loco, ne augeatur continuo morbus: hic igitur erit vnus scopus. Secundus est, quod non solum oporteat auferre humorem & impedire, ne fluat & ferueat, sed etiam curandum est, ne in corpore gignatur nouus ille humor. Cum enim curatio huius morbi sit longa, & licet procederet ex voto & secundum spem, tamen esset nimis longa,

*1. Remotio
causa.*

*2. Inhibitis
generationis
humoris.*

quia fluente nouo humore, renouaretur affectus: ne igitur hoc accidat, oportet etiam inhibere nouam generationem talis humoris: Igitur post inhibitionem fluxionis, faciendum est, vt denuo non generetur iste humor melancholicus. Tertio debetis obferuare, quod omnia, quę proponuntur in arte, non possint ex arte perfici: nam si cancer esset in homine calido & sicco, vel homo esset in regione calida, vel in ea, in qua essent in vfu solum cibaria, quę generant melancholicum succum, tunc non possetis facere, quin in huiusmodi corpore generaretur continuo melancholicus succus: & ideo in eo casu oportet putare locum aliquem, qui sit tanquam emissarium, per quod humor ille continuo egrediatur ex corpore: hic ergo est tertius scopus. Hos scopos cum fueritis assecuti, debetis descendere ad locum affectum & primo oportet reddere ipsum ineptum ad receptionem melancholici succi, apponendo ea, quę roborent locum ipsum: nisi enim locus reddatur ineptus ad receptionem, vana erit curatio. Itaque oportet locum roborare & simul & semel remouere illud totum, quod est præter naturam. Sed ex Celso, autore certe diuinissimo obferuandum est, qui loquens de hoc morbo inquit *excisa etiam post inductam cicatricem tamen reuerſi sunt & causam morbi attulerunt.* Solet cancer exulceratus, si quis alius affectus vllus, reuiuiscere post sanationem, & sæpe Medicus exuret locum, inducet cicatricem, tamen inde ad duos vel tres menses renouabitur cancer: Et ego vidi cancers renouatos post tertiam etiam sanationem. Ne igitur cancer post sanationem reuiuiscat, oportet post sanationem roborare partem, & reducere ipsam in suam naturalem temperiem, ne amplius sit cancro subiecta & hic est nouus scopus. Hi igitur sunt scopi, quibus oportet vos esse intentos in cancri curatione.

Ad primum ergo, qui respicit inhibitionem fluxionis materię melancholicę ad locum, veniamus. Quomodo igitur inhibemus fluxionem? Galenus in 2. ad Glauc. cap. 10. dicit, quod omnia consistant in attemperacione humoris & feruoris, qui est in parte affecta, & in attemperacione totius corporis, & in imminutione & ablatione seu euacuatione talis humoris. Ad contemperacionem autem pertinet victus ratio, de qua Galenus omnes alii meminerunt in principio, quę victus ratio debet refrigerare & humectare & aliquantulum attenuare, sed non debet attenuare per calefactionem & per imminutionem alimentii. Igitur vt à potu incipiã, conuenit potio aliqua, quęcumq; illa fuerit dummodo refrigeret & humectet & ne quicquam calefaciat: nam vidi ego mulierem laborantem cancro in mama, quę semper cruciabatur intenso dolore, & solo victu refrigerante & humectante sedatum esse dolorem illum.

Cibi pariter sint humectantes & refrigerantes, & qui parum nutriant & aquosum generent alimentum: & ideo omnia olera, dummodo non generent succum acrem, vt faciunt radicula & rapa, conueniunt: attriplex igitur, blitum, malua, lactuca, acetosa, endiua & cichorea omnia sunt opportuna & præcipue sonchus, ita quod quando possum, non nutrio ægrum præferim si sit mulier, alio libentius, quam soncho; nam præterquam quod refrigerat & aperit, resistit etiam malignitati: in cancro autem ex præcepto Galeni exhibemus theriacam, etiam si calefaciat & siccat, quia resistit veneno huius morbi, & ideo sonchus est præstantissimus, si quod aliud syluestre olus: Spinactię etiam, quę sunt species quædam runcis satiuę, sunt opportuna; conceduntur etiã pisces saxatiles, quantum æger voluerit etsi essent durioris carnis, dummodo sint elixi & paulo oleo conditi. Aquę bibat quantum velit: lac est optimum, comedat & recoctum illud, sed moderate: bibat serum caprinum matutina hora vel in prandio vel in cena. Ex carnibus conueniunt auiculę parua & molles: comedat paucam carnem, qualiscunq; illa fuerit, quia caro nimium nutrit.

Hoc modo tentabitis contemperacionem humorum & corporis totius per victus rationem, qua instituta, respiciendum est ad euacuationem & præcipue ad illam, quę fit per pharmacum & per sectam venam; nam alia, vt ea, quę fit per sudorem, per inediam, &c. parui sunt ab omnibus: Igitur illis omiſſis, loquamur de duabus illis euacuationibus, magnificiendis. Itaque consistentibus viribus secabitis venam, lenita tamen prius alio eum casu vel alio huiusmodi.

Sed dices, non adest indicatio secandę venę, quia hic adest humor corruptus, qui indicat non sectionem venę, sed sui euacuationem, ergo non est secanda vena. Galenus tamen in 2. ad Glauc. cap. 10. secat venam, quãuis in 14. meth. respiciens magis ad alios scopos non meminerit sectionis venę, sed exhibendi pharmaci, tamen dico esse secandam venam, quoniã raro fit scirrhus cancerosus & exulceratur, quin in toto corpore abundet sanguis crassus & limosus impediens actionem medicamentorum, nisi cancer sit factus ex errore Medici, quod raro accidit: vt plurimum autem scirrhosi cancri sunt per se, deinde exulcerantur,

tur, & ideo datur medicatio minuendi ac euacuandi limosum illum sanguinem, vt postea medicamenta exhibita, siue fuerint soluētia, siue nō possint agere & natura possit concoquere: Igitur statim post lenitiōē alui secate venam; vel si non vultis venam incidere, considerate, an abundantia illius limosi sanguinis proueniat propter suppressam aliq̄ euacuatiōē consuetam, vt per hæmorrhoides, vel per vtetū vel per nares, nam & ex suppressiōe vacuatiōis sanguinis p̄ nares accidit aliquādo cancer: & ego habeo amicū, qui solebat expuere copiosum sanguinem, ita, vt vna nocte aliquando expuerit vsq; ad 14. libras, quæ euacuatio fiebat ex apertione capitum venarum illarū, quæ deueniunt ad incisivos dentes, qua euacuatiōe suppressa obortus est cancer in palato, & vtinam tandē

10 non interficeret charissimum illum meum amicū. In hoc ergo casu, in quo abundantia limosi sanguinis peruenit ex suppressa euacuatiōe, oportet euacuatiōē illā consuetam reuocare, verū non tentetis reuocatiōē mensū in muliere quinquagenaria, qua trāsactū est tēpus menstruorū. Quod si speraretis vos esse assecuturos reuocatiōē suppressæ euacuatiōis cōsuetæ, secate venā seruata rectitudine & reliquis requisitis ad sectiōē venæ.

Preparatio
humorum.

Hoc facto euacuandus est humor, qui cum crassus sit & viscidus, opus habet præparatiōē, quæ preparatio instituenda est cum iis, quæ attenuant & aperiunt vias, vnde ea omnia, quæ recipiunt vel sunt ex betonica, sunt opportuna, quia betonica attenuat, aperit & nō multū siccatur. Cichoracea quoq; omnia sunt opportuna, fumus terræ: capillus veneris

20 quia attenuat, & aperit & non calefacit, ita & polytrichon, cum his antem admiscebitis acetum, quia attenuat & aperit. Mel rosaceum est quoq; commodum. Verum semper debetis ante oculos habere, quod hic habetis habitum siccum, ideo cū præparantibus admiscenda sunt ea, quæ retundunt siccitatē, cuiusmodi sunt liquiritia, passulæ, borrago, & hæc etiā aliquando incoquetis simul cū carne & in ferculis. Nec mirum vobis videatur, quod sim ita diligens in hoc affectu, quia sunt duo genera affectuū, quæ maxime excruciat: vnū est illorum, qui cito interficiunt, & quasi subito; alterum est cancer ipse. In officinis etiā habetis parata aliquot opportuna, qualis est syrupus de fumaris simplex & cōpositus, de pomis tum simplex tum cōpositus; nam omnes isti syrups attenuant, aperiunt, non calefaciunt, nec valde siccant. Facta præparatiōe euacuabitis, sed quonā medicamēto?

Euacuatiō.

30 nus aliquando est contentus solis quatuor drachmis epithymi, quod exhibebat in iure, vel cum sero vel cū mulsā salita, & medicamentū sane est optimū & nihil offendit. Sed reuera nos caremus epithymo loco tamē ipsius vtimur epithymbra, quæ habemus & communiter vocatur epithymum, & est cuscuta, cuius meminit & Aetius & Paulus, habetq; vires easdē, quas epithymū, sed debiliores; Ideo loco epithymi vtor epithymbra vel epithysopo & etiā epithymū natū super hysopo: accipio igitur non quatuor drachmas, sed integrā vnciā huius nostratis epithymi, & contundo, factoque decocto exprimo & exhibeo: accipio autem magnam quantitātē, quia est debilius epithymo vero. Quando autē requirebatur vacuatio maior & medicamentum validius, Galenus utebatur quodam suo medicamento, quod constabat ex 32. ingredientibus, sed quod nam sit illud eius medicamentum, ipse nullibi explicat, non in lib. de antidotis nec in lib. de compos. medic. per loc. in quibus libris

40 multa recenset medicamenta. nec alibi: medicamentū tamē illud diuinum erat, vt patet, quia vocat suum; præterea quia utebatur ipso in morbo tam seruo. Dum lego Paulū in 4. lib. cap. 26. vbi curat cancrum exulceratum & non exulceratum, video quod omnia acceperit à Galeno, & dum vult purgare corpus, dicit primo purgandum esse cū quatuor drachmis epithymi, deinde si hoc non proffit, dicit exhibendā esse hieram recipientem elleborum nigrum, ex quo loco ceniēturam facio, medicamentum Galeni esse aliq̄ speciem hieræ; multa enim fuere medicamenta, apud antiquos vocata nomine hieræ, nā omne medicamentum valde purgans nuncupatum est ab ipsis hiera, hoc est, medicamentū sacrum & diuinum. Cum itaq; Paulus omnia accipiat ex Galeno, & sit veluti eius simia, & videam, quod quādo robustiori eget medicamento, exhibeat hieram cum veratro nigro, colligo

50 medicamentum Galeni fuisse hieram aliq̄, sed quod nā sit hiera illa, quæ recipiat elleborum, ambigū est: infinitas tamen hieras habemus propositas à Nicolao Myrepsio, & aliquot etiam proponit ex Galeno. Paulus etiā in libro 7. proponit vnā ex Galeno, sed non est medicamentū Galeni illud. Recentiorū aliqui volunt, medicamentū illud Galeni esse hierā diacolocynthidos traditam ex Archigene, moti autoritate Aetii lib. 8. cap. 57. sed friuola est autoritas, nec vlla est ratio pro ipsis, quia hiera illa non recipit 32. medicamenta, vt medicamentum Galeni: Quare non est dicendum, quod illa sit medicamentum Galeni, nec reperio aliā hierā, quæ mihi videatur esse illud. Quid igitur dicendū? Ego laboravi multū in hac inuestiganda, & tandem veni in hanc sententiā, vt credā, quod licet medicamentum illud Galeni sit dictum hieræ, tamē non sit aliqua hiera earum, quæ describuntur, sed quod sit medicamentum illud, quod describitur ab Aetio ex Galeno lib. 3. cap. 113. & est medicamē-

tum purgatorium validum recipiens elleborum, ita vt dici possit hiera, & multa etiam recipit, ita vt accedat ad numerum illorum, quæ recipiebantur in illud Galeni; recipit enim 28. medicamenta: sed si exhibeatur cum multa salita, erunt 31. quia in tali multa recipitur mel & sal; cū ergo recipiat tot fere, quot illud Galeni, sitq; validum purgatorium, & recipiat multa, quæ corrigunt elleborum, credo, quod sit illud Galeni: Et medicamentum quidem diuinum est, vt vocari possit hiera. Et hoc idem medicamentum reperi descriptum apud Actuarium *cap. 27.* Et vocatur etiam ab ipso medicamentū Galeni; verum tamen est, quod descriptio Actuarii recipit 35. medicamenta, tamē nihil ingreditur, quod possit corrumpere diuinam illam compositionem. Medicamentum istud facio ego, & aliquid etiam ex Medicis huius Gymnasii, vt seplasiarii parent modo secundum descriptionem Actii, modo Actuarii, quod nihil refert & facio parare non in forma electuarii, sed specieŕū, & voco species hierę diacolocynthidos magnæ, quas species exhibeo cū cassia. Itaque quando vultis euacuare, exhibeatis has species vel cum cassia vel cum confedione hamech vel factis pilulis. Et quamuis medicamentum hoc sit optimum, tamen cum non habetur paratum, vtamini iis, quę sunt in officinis, vt est electuarium indum: Confectio etiam hamech pretiosa est. Sed addatis, quod Paulus vult, vt vitamini iis, quæ recipiunt elleborum nigrum; hoc autem non recipitur in confedione hamech, & ideo admisceatis cum eo aliquid veratri nigri etiam si sit veratrum nostrate. Habemus etiam syrupū vocatum syrupum Montani, nā fuit illius diuini hominis, quo syrupo ipse vtitur in morbo gallico & optimum est medicamentum, euacuatq; præstantissime & præcipue humores exiit: hoc igitur syrupo poteritis vti optimo cū successu. Ipsius autē mentionem faciam, quando dehinc ad paucos dies agam de morbo gallico; aliquo igitur istorum euacuabitis bis vel ter, repetita etiam præparatione, totidemque vicibus facta euacuatione descendetis ad secundum scopum, qui est alteratio totius habitus & viscerum, nē amplius gignatur sanguis talis scilicet feruens & crassus: hoc autem solet fieri per exhibitionem post factam euacuationem, per exhibitionem inquam sachari rosacei per multos dies, vel exhibeatis sacharum violatum, sed his admisceatis sacharum borraginatum, vt habeatis refrigerationem & humectationem sine siccatione, & si ægri essent ditiores, infistuat, vt vtriusque generis conditorū, cuiusmodi ē lactuca condita sacharo, radix cichorei condita, caro cucurbitæ condita, cucumeres fatiui conditi; nam omnia hæc attemperant viscera calefacta. Solemus etiam exhibere diarthodon Abbatis, confedionem diatrion fantalorum, cui tamen admisceamus sacharum borraginatum, vt refrigeret sine siccitate: solemus quin etiam exhibere per vices & multū in qualibet vice, serū caprinum vel ouinum vel etiam asininū, si aliud nō ad sit solemus etiā exhibere in scula seu potiones aliquas ex lactuca, cichoreo, endiuia & similibus, sed inter hæc primas obtinet herba illa, quæ hepatica dicitur & ab antiquis lichene: in hoc enim affectu & in aliis etiam est præstantissima, & potest exhiberi sine incommodo. Sed sciatis, quod affectus iste habeat radices fixas, ideo eget robustis admodū medicamentis; vnde ego vti soleo duobus præcipue ad contemperandum totum habitum & viscera; & vnum est decoctum radicis chinæ, in quo decocto ego expertus sum tot effectus optimos, vt sit mirum: Et quamuis hoc medicamentū sit primo receptum in vsu ad morbum gallicum, & ipso etiā in tali affectu sim vsus, tamen non possum attestari, quod habeat magnas illas vires, quas expertus sum habere in contemperando habitum totum ac viscera. Itaq; ego exhibere soleo felicissimo cū successu viginti dierū spatio in doloroso hoc affectu ea ratione, qua exhibetur in morbo gallico, quem modum exhibendi doceo vos, cum agitur de morbo gallico. Et vt dixi, ego soleo exhibere hoc decoctum felicissimo cum successu & superiori hyeme incipiente exhibui nobilissimę mulieri Venetæ, quę habebat cancerum in altera mamma dolorosissimū: Et cū alia nihil profuissent, vix octo diebus vsa est hoc decocto, q; dolores omnes penitus sunt ablati, ita temperatus est sanguis, viscera & totus habitus. Verum sciatis, quod radix ista, china scilicet rara & pauca illa quantitas: quæ apud nos habetur, semper fere ex carie corrupta est: sed apud montem Orthonem habemus alterum medicamentum pretiosissimum, quo eius decocti loco vti possumus, & est aqua virginis vocata, ex cuius exhibitione in caneris exulceratis vidi mira: Igitur ad contemperationem poteritis exhibere hanc aquā; & omnem aliā, quæ refrigeret sine siccitate, vt facit ista. Hoc modo contemperabitis, sicut etiam instituto victu refrigerante atq; humectante & inuncta regione hepatis cerato rosaceo vel infrigidante Galeni & adhibito semp vsu balnei aque tepidæ, in q̄ aquam dimittatur æger, nam est remedium, si quod aliud, præstantissimum.

Quod si casu viscera sint ita exulta, vt non possitis auferre intemperiem, deueniatis ad tertium scopum, qui est, vt continuo euacuetis humores crassos & feruen-

Refrigeran-
tia Chimus.
Santia.

Radix chi-
na.

Aqua vir-
ginis.

Evacuatio
humorum

ferientes, qui generantur. Sed quomodo fiet hæc euacuatio? Reperio antiquos tentasse hanc duobus modis; vno quidem per medicamenta purgantia, altero per digerentia. per purgantia quidem euacuabitis, vt singulis quindecim diebus exhibendo parum castiæ admixta confectione hamech vel parum epithymi, nam leue erit medicamentum, poteritque euacuare materiam coaceruatam in primis visceribus, non totam quidem, sed aliquam partem. Euacuationem autem per digerentia tētabitis exhibitō aliquo medicamento robusto: vnde antiqui in cancro vniuersali, qui est elephantiasis, exhibebant mithridatiū & præcipue theriacam: ita & ego soleo facere, sed admisceo saccharum borraginatum vel rosaceum, vt refringatur caliditas & siccitas theriacæ. Hac igitur vtraque euacuatione, *¶* scilicet facta tum per medicamenta purgantia, tum per discutientia, satis facietis tertio scopo.

Hoc factō succedit quartus, qui respicit locum affectum, & primū quod est agendum circa ipsum, est vt conspiciatis cancrum & videatis, an sanabilis sit, nec ne, quia alia curatio conuenit in sanabili & alia in insanabili. Supponatur, quod sit sanabilis & conspicuus, vt quod non sit in foraminibus narium, non in palato, non in oculis mulierum, non in intellinis, nec in alio abdito loco & nō sit infiltratus, nec adhæreat thoraci, iste est curabilis, sed sola ea curatione, quæ docet Galenus, & curatio est, quod oportet cancrum ipsum extirpare: modum autem, quo sit extirpandus, docet Gal. lib. 14. meth. cap. 9. & est, vt pmissis omnibus communioribus deueniamus ad sectionem, & primum oportet ægrum recte collocare, ita vt situs sit aptus ad actionem, & æger non concidat animo, & ne robur deficiat inter agendum, vt facile posset, quia actio violenta est, oportet exhibere parum vini odoratissimi, & panem infusum, quo factō secandus est vndiquaque cancer nouacula, & si cancer occupet magnā partē, est secanda pars magna, si paruam, parua: nec hoc sat est, inquit Galenus, sed radices & cancri sunt extirpandæ: per radices autem videtur intelligere turgentes venas circumquaque positas & exprimētes cancri animalis pedes: & hoc quidem modo possumus intelligere: sed aliud est etiam per radices intelligendum: debetis enim scire quod cancri exulcerati vt plurimum fuerunt non vlcera & erant tubercula glandularū. primo enim fiunt strumæ & scirrhī glandularum, deinde cancri exulcerati, & ex eentū cancri exulceratis nonaginta erant humores glandularum, qui postea sunt exulcerati & facti cæcerosi: glandularū autem aliquot sunt magnæ, aliquot paruæ, alia superficialia, alia in profundo sita. In mamma igitur, verbi gratia, erit glandula cancerosa, quæ est secanda: at hoc nō sat est, verū oportet videre, an & alia glandulæ profundæ & paruæ sint exulceratae, vel nō exulceratae sed tumida & affecta, & ipsæ quoque erūt auferendæ, alioque fiet, vt solet de lapide vesicæ: solent enim aliquando duo & tres lapides esse in vesica, vnde isti secant & extrahunt vnū, & non inspicientes postea, num plures adsint, sit vt æger sanetur & non percipiat molestiam aliam, nisi post decem vel plures menses, nam lapis relictus fit grandior & ita nihil est factum, cum habeat, vt & antea, lapidem in vesica excruciantē ipsum. Idem quoque solet circa cancrum accidere, nam isti secant glandula maiori relinquunt illas paruas affectas & circumpositas turgentes, quæ postea sunt in causa, vt inde ad aliquot menses succedat iterum cancer. Dico igitur, quod per radices possumus intelligere etiam paruas illas glandulas.

Facta sectione monet Galenus, vt exprimamus totum sanguinem contentum in illis partibus & sinamus etiam, vt copiosus sanguis effluat, & cum effluerit quantitas opportuna, sistendus est, ad quam sanguinis suppressionem recentiores vtuntur igne, exurunt enim capita illarum venarum: Galenus autem non meminit vstionis, sed simpliciter dicit, suppressendum esse sanguinem, & cum simpliciter loquatur, credendum est, quod ipse intelligat de suppressione non quidem facta per vstionem, sed medicamentis astringentibus. Vos autem distinguatis: si enim cancer sit in loco, vbi non sunt venæ magnæ, & non timeatis maximam fluxionem, suppressatis cum medicamentis astringentibus, vt albo oui; vel medicamentis siccis, id est, lineamentis siccis, vt est gossypium, &c. nam ignis fugiendus est in cancri, quantum fieri potest, quia siccit & calescit: sicut enim in affectibus frigidis & humidis ignis valde prodest; ita in affectibus, in quibus materia est calida & sicca, maxime obest: si autem cancer esset in loco vbi sunt magnæ venæ, vt amini vstione.

Sed aliquando reperiuntur homines tales, qui nullo modo volunt perferre exustionem nec sectionem & medici aliqui sunt tales, & ego sum ex illis, nam semper fugio, quantum possum, sectionem omnem in corpore humano: vnde recentiores cum hoc viderint, docent modum, quo possumus extirpare cancrum sine igne, vt per medicamenta caustica, quod ego sæpe soleo facere, non oportet autem vt multum laboretis in inueniendis medicamentis his causticis opportunis in hoc casu, quoniā statim recurrendū ad ea validiora

*Crassorum est
ferentia. 1.*

Digerentia.

*Quartus
scopus respiciens
locum
affectum.*

*Extirpatio
cancri per
sectionem.*

*Caustica
vehementia.*

Res galium
quid. est, quæ reperiuntur in medica facultate, & illa sunt arsenicum sublimatum, argentum sublimatum & res galium quod est species arsenici, sed compositum est medicamentum: hæc tria sunt potiora.

Quarto loco poteritis uti aliquo capitello vel illo caustico, cuius memini superius in tabella causticorum, & dixi quod vocetur causticum ad cancrum, aliquod igitur istorum imponatis. Modus autem imponendi est duplex: aliquando si cancer non sit admodum auulsus, ita ut nequeat filo vinciri, alio modo imponitur, quam quando auulsus est, ita ut possit vinciri filo. si enim sit auulsus, ut solet esse, quando est in mammis, non imponimus causticum toti cancro, sed filo arripimus carerum & vincimus, & circumcirca inter cancrum & sanam partem imponimus causticum, & cum inibi fuerit, quantum opus est, sensim & sensim altera die, vel etiam eadem secamus circumcirca & auferimus integrum cancrum, & optime succedit curatio: si autem cancer magis hæreat & nequeat vinciri, utendum est argento sublimato puro vel alio caustico in trociscos formato, eo modo, quo docet Ioannes de Vigo, vel utamini trociscis eiusdem Ioannis, quorum compositionem habetis in tabella, quam supra tradimus, & trociscis illis utimur hoc modo: perforamus vlcus duobus vel tribus in locis, & ita relinquimus per 24. horas, & super vlcus imponimus linteam madidam aqua rosacea vel oleo rosaceo, ut arceatur inflammatio: transecto spatio 24. horarum secamus cancrum. Sed notate, quod cancer aliquando supereretur vnica impositione caustici, aliquando opus sit bis & ter imponere, quoties fuerit superatus vsque ad profundum, quod cognoscetis obseruato tumore: nam si post impositionem caustici videritis, quod non solum partes superiores vlcis, sed & alia circumpositæ vsque ad profundum intumuerint, signum est, quod cancer sit visus vsque ad profundum: contra autem si intumuerint solum partes superiores & magis extimæ: & ideo hinc repetendum est medicamentum: Tumor autem qui solet succedere ad impositionem caustici, est œdematosus, non tamen simpliciter, sed est œdema inflammatum & lucidum.

Causa escharæ. Facta sectione tentabitur casum escharæ: sciatis tamen, quod semper remaneat pars aliqua corrupta, & ideo non tentandus casus escharæ cum iis, quæ valde calefaciunt & siccant: ideo tetrapharmacum licet optime faciat ad casum escharæ, tamen in hoc casu non est opportunum, quia nimis calefacit, sed conuenit butyrum lotum, medicamentum ex albo oui atque ex terebinthina lota & huiusmodi. dum autem concidit, & maturatur eschara, abluatis locum aqua hordei, cum qua sit admixtus syrupus rosaceus recens & vel cum sero, hæc enim detergunt & non calefaciunt. Cadente crusta explebitis vlcus carne, non tamen utamini validis medicamentis generantibus carnem, quia calefaciunt nimis: sed opportuna erunt ea, quæ diximus conuenire in phagedæna, ut est diapompholygos, & medicamentum factum ex farina hordeacea, pompholyge lota & aliis, ut diximus in curatione phagedæne. Vlcere carne repleto deuenietis ad roborationem partis, ne recipiat denuo materiã, & fiat nouus cancer, quod fiet eo modo, quem iam iam exponam: & hoc modo eradicabitur cancrum.

Si cancer non sit curabilis, quid tuocandum. Verum ex centum cancribus vix vnus est curabilis: cum igitur cancer non est curabilis, quid agendum? dico quod conseruanda sit vita quantum oportet & fieri potest, & curandus est, ne morbus crescat, sed potius protrahatur & fiat antiquus, & hæc curatio vocatur à barbaris paleatiua vel palearis, non quod sapiat paleã, sed quia sapit paleosin, hoc est, antiquitatem: Est ergo paleatiua curatio, quæ conseruat vitam morbi simul cum vita hominis: ad hanc ergo curationem est deueniendum, cum cancer non est sanabilis, & curatio consistit in extinctione feruoris humorum, in ablatione doloris, in moderata siccatione, ne vlcus augeatur, in collectione ac deterfione cuiusque saniei, ne firmetur in loco, vbi acris fiat & erodat, & in reddendo partem aliquantulum ineptam ad receptionem humorum, in his omnibus posita est palearis curatio cancri insanabilis. Quomodo autem hæc fient? si quod est, quod omnibus his scopis satisfaciatur, est serum lactis caprini vel ouini vel vaccini, chalybeati tamẽ, id est, in quo sepe & multoties sit extinctus ferrum ignitum: hoc ergo sero abluatis vlcus, vel madefactis linteis in ipso applicabitis & ita mitigabit dolorem, abluet omnem saniem, moderatè siccabit ratione ferri, & obferri qualitatem modice reprimet, sicque reddet partem aliquantulum ineptam ad suscipiendos humores. Hæc omnia etiam præstat succus solani hortensis ductus in mortario plumbeo per horam integram & patefactis in ipso linteis & applicatis. Tale quoque est lac chalybeatum, cui magis fido, quam sero, quia habet partes caseosas, quæ siccant & refrigerant moderate, hoc igitur abluatis cancrum, vel imponatis lintea ipso madida.

Sum

Sum copiosus in tradendis his medicamentis, quia sæpe vnum non facit & aliud facit; & si qui sunt, qui excrucient aliquando Medicos, profecto sunt mulieres habentes cancerum in oculis dolorosissimum; vnde semper noua auxilia petunt. Et si casu fiat, vt nouo vel pluribus adhibitis non mitigetur dolor, & tandem vtamini aliquo, quo sedatur, res tam grata mulieri erit, vt adorent fere Medicum. Addit Galenus & ex ipso Paulus & Aetius alia medicamenta opportuna, & locus est in *comm. de facult. simpl. cap. de plumb.* & sunt succus lactucæ, succus pŷyllii, succus portulacæ, semperuiui maioris, corylidonis, si habeantur & succus vix acerbæ, sed qualiscunq; succus istorum fuerit, est ducendus in mortario plumbeo, deinde madefaciendum linteum & applicandum, & supra linteum apponenda spongia eodem succo madida, quæ cum incipit siccare, iterum est madefacienda, vt ego soleo facere, quando cancer est in parte aliqua, vbi possum manus aptare: q̄ si sit in parte, vbi nequeam aptare manus, vt in palato, vel in oculis muliebribus, tunc vtor succo tali in gargarismatibus vel clystere. Sed notate ex Galeno, quod curatio, quæ fit per succos, sit grauis: quod enim æger debeat continuo madefacere lintea & imponere, est ipsi valde molestum. Sicut etiam si debes continuo gargarizare & gestare lintea illa in loco; & aliquando etiam obliuiscitur; quamobrem opus est aliquo, quod perduret diu in loco & inibi consistat: vnde deueniendum est ad emplastra, vnguenta & linimenta. Materia autem apta pro canceris exterioribus, ad paranda hæc medicamenta, varia est, vt plumbum & omnia, quæ ex plumbo constant: hæc sunt vera & certa materia paradortum medicamentorum pro canceris exulceratis existentibus in partibus exterioribus; Sunt igitur plumbum elotum, plumbum vstum, recrementum seu scoria plumbi, molilodena etiam dicta ex plumbo facta, lythargyrium & cerussa, quibus addatis pompholygem præparatam & lotum, spodium præparatum & lotum, cadmiam, quæ est tutia officinarum: vltimò ex Celso addatis restam combustam. Hæc est materia, ex qua simul cum oleo vel cera poteritis sub variis formis parare medicamenta pro exulceratis canceris exterioribus.

Pro canceris exterioribus.

Verum loca latentia non tolerant hæc metallica, nec tutum est vti gargarisinate, in quo hæc recipiantur, nam lythargyrium, cerussa & reliqua dicta maxime obesse. Pariter non est tutum infundere ipsa in nares, vel in vterum, vel in aliam partem latentem, & ideo oportet, vt proponam vobis etiam materiam medicamentorum pro canceris vlcera-
 30 tis latentibus, quæ non sit ita valida, vt materia dicta. Primū est igitur crysimi herba vsta & in cinerem redacta, bolus orientalis, terra armena, quæ bolus armena dicitur ab antiquis: sed omnia superat cinis cancerorum fluuiatilium, non intelligatis de canceris longis, qui hic habentur & cammari vocantur, sed de illis rotundis similibus canceris marinis, qui in Hetrutia habentur satis copiosi & reperiuntur in dulcibus illis aquis, horum igitur cinis est præstantissimus. Præterea si coquantur in lacte & exhibeantur, & eorum caro ponatur supra cancerum, optimum erit remedium. His addatis cinerem eboris, cisterei cor nuceruini, scabiosæ & illius herbæ, quæ ab istis vocatur robertina, sed omnes isti cineres sunt ablucendi. Hæc erit materia componendorum medicamentorum pro canceris latentibus vlcera-
 40 tis. Habita materia poteritis componere, & primo ex materia priori pro canceris exterioribus solemus variis modis componere medicamenta, vt in formam liquidam per succos, per syrupos, solemus inspergere puluerem in ipsos & solemus etiam parare vnguenta. Per succos componimus hoc modo: *Rec. succi solani hortenſis, lactis chalybeati, succi rosarum ana vnc. j. olei rosati omphacini, olei myrtini ana vnc. ij. cerusse, lythargyri, pompholygos, thuris ana drach. ij.* miscentur omnia in mortario plumbeo optime cum pitillo plumbeo, donec acquisiuerit consistentiam, deinde extenditur supra linteum & applicatur. Et notate, quod cum priori materia pro canceris exterioribus semper admiscendum sit aliquid, quod habeat vim concoquendi, alioqui non succederet mitigatio, quam requiritus, & ideo admisceatis mastichem vel crocum vel thūs.

Canceris latentis & interioris.

Pro canceris exterioribus.

Notandum.

Si cancer fuerit in ore, parabitur medicamentum hoc modo: Accipiatis solanum, erysimum & scabiosam, coquatis in lacte chalybeato & simul etiam cum his incoquatis canctos fluuiatiles, deinde coletis decoctum, quo æger colluat sibi os: deinde habeatis aliquod non durum, nec tenerum, quo illinatur cancer existens in palato, vel in oculis mulierum, quale est hoc: Accipiatis bolum orientalem, cinerem ex cornu cerui, ex scabiosa, ex ebor & potissimum ex canceris fluuiatilibus, & addito syrupo rosaceo recenti vel violaceo ducetis omnia in mortario plumbeo & formabitis linimentum.

Si fuerit in ore.

Verum sæpe accidit, vt indicetur, vt diutius debeamus conseruare vim medicamentorum in loco, & tunc prius inspergamus supra totum cancerum puluerem dictum, deinde superimponamus linimentum.

Pro exterioribus autem canceris faciatis medicamentum hoc modo: *Rec. lythargyri*

c

loti, cerussa loti, plumbi loti ana drach. j. pompholygos loti ana drach. ij. cineris cancerorum drach. ij. thuris scrup. ij. croci gr. v. misceatur in mortario, tundantur & fiat puluis, qui inspergatur supra totum cancrum, deinde superimponatur linteum cum linimento.

In palato vel vtero.

Pulverem autem pro cancro in palato, vel vtero faciatis hoc modo: Rec. cineris cancerorum, cineris scabiosæ ana drach. j. boli orientalis, eboris vsti ana scrup. ij. thuris drach. ij. croci gr. v. misceatur in mortario & per fistulam inspergatur super cancrum: ponitur puluis in fistulam, deinde Medicus adigit os alteri orificio fistulæ, & sufflat. Hoc pulvere inspergitur supra totum vlcus, superimponetis linteum dictum, vel vnguentum aliquod, quale efficit illud, cuius meminit Gal. in comm. de facult. simpl. cap. de plumbo. & vocatur diacadmia, id est, medicamentum ex cadmia, & describitur in lib. 2. de compos. medic. per gener. cap. 14. Sed descriptio est multiplex. Verum quamvis hoc medicamentum, proberetur à Galeno ipso, tamen ego non audeo ipso vti in cancris exulceratis dolorosissimis, quia recipit magnam quantitatem chalcitis, nec habet tot medicamenta, quæ possunt retundere acredinem chalcitis. Describitur etiam hoc medicamentum à Scribonio Largo cap. 242. describitur item ab Actio lib. 14. cap. 39. sed vt dixi, medicamentum hoc ob sui acredinem nullo modo mihi placet in cancro exulcerato, quando adest magnus dolor: sed si vellem vti medicamento aliquo ex cadmia, potius vterer illo, quod describitur à Paulo lib. 7. & à Nicolao Alexandrino sectione 10. medicamento 131. & est huiusmodi. Recip. chalcitis vsti vnc. ij. cadmia vsta & in vino preparata & loti, manna thuris ana vnc. j. cera, colophonia, olei myrsini ana lib. j. vini quantum sufficit, misceatur & fiat medicamentum eo modo, quo ipsi autores docent. Sed notate quod nos careamus chalciti, ideo ego eius loco vtor chalcantho romano moderate exulto, at nō in ea quantitate, quæ recipitur chalcitis in hoc medicamento, sed impono tantum vnam drachmam. Galenus lib. 2. ad Glauc. cap. 10. & lib. 10. de simpl. med. fac. cap. de lacte, addit medicamentum quoddam optimum & diuinum, quod appellatur diapompholygos, quod etiam laudatur ab omnibus antiquis Græcis, Arabibus & recentioribus. Sed notate, quod à Nicolao Alexandrino & à Paulo non vocatur diapompholygos, vt à Galeno & ab aliis Græcis, sed vocatur pompholygoron; ab Arabibus autem vnguentum de tutia, cuius medicamenti descriptionem habetis apud Paulum & Nicolaum Myrepsium: sed eorum descriptio nō placet, quoniam recipit oleum seminum lini vel chamomelinum, quæ calefaciunt. Actius lib. 14. cap. 39. proponit tres descriptiones huius medicamenti, quarum prima & tertia mihi magis placent, licet & media sit bona, non tamen pro omnibus corporibus: medicamentum hoc in officinis habetur paratum ex descriptione luminaris maioris vel thesauri seplasiariorū vel ex aliis receptariis, sed mala est descriptio & malum medicamentum, quia recipit absynthium, quod amarum est & mordicat. Valerius Cordus describit & ipse medicamentum hoc & satis concinne, tamen ego probo magis eam descriptionem, quæ habetur in officinis Patavinis, non quidem in omnibus, sed in præstantioribus, & quando ego volo, vt paretur, describo eodem modo, & descriptio talis est: Rec. olei rosati, cera alba ana libr. x. succi solatri lib. v. cerussa loti libr. vi. plumbi vsti loti, pompholygos loti, thuris ana vnc. xv. misce & coque ad consistentiam vnguenti: medicamentum hoc superat omnia in mitigando dolore cancri & in protrahendo cancro.

Descriptio diapompholygi optima.

Obstuspefaciens in maximo dolore.

Pompholyx lota per linteum quid.

Stupefacientia vbi sint fugienda.

Ceterum aliquando succedit cancro dolor ita ingens, vt nequeat xger expectare mitigationem introductam ex his medicamentis, & ideo opus est vti stupefacientibus: si igitur talis daretur occasio, quoniam stupefaciente est vtendum? Dico quod poteritis vti siroph albo cum opio, vel collyrio Cleonis, vel collyriis spodiatis, ita vocatis ab Actio, qui describit ea in 7. lib. cap. 31. in curatione cancri vlcerati oculorum, nam in illis vtiur huiusmodi trociscis, ego tamen vtor etiam in cancro aliarum partium, vbi dolor est satissimus; vel vtamini alio medicamento, cuius meminit idem Actius lib. eodem cap. 104. quod medicamentum soleo ego habere familiare & eius descriptio hæc est; Rec. cerussa loti vnc. vi. cadmiæ vste & loti vnc. iij. pompholygos per linteum loti, opii, tragaganthe gummi arabici ana vnc. ij. terantur & ducantur admixto succo solani vel psyllij vel lacte, in mortario plumbeo vsque ad linimenti consistentiam & superimponatur vlceri. Et notate, quod per pompholygē lotam per linteum antiqui intelligant, quod nos accipiamus pompholygen puluerisatam, imponamus linteo & faciamus fasciculū, quem abluimus multum in aqua, deinde permitimus, vt id, quod ingressum est ex linteo, subsistat, illoque vtimur.

Poteritis & hoc modo parare medicamentum. accipiat succum florum mandragoræ, succum foliorum hyoscyami & oleum rosaceum omphacinum quantum sufficit, & addito pauco lythargyro misceatis in mortario plumbeo vsque ad linimenti consistentiam.

Sed notate, quod hæc medicamenta stupefacientia sint fugienda in vtero & palato, nam si casu laberentur in ventriculum, maxime profecto læderent: & ideo in cæcro vteri vel

vel loculorum & palati vtemini isto: accipiat *semina hyoscyami albi, semina papaueris albi, & multum croci, contundatis omnia simul affundenda lac copiosum, deinde exprimatis & succo illo expresso vitamini* nam est optimum medicamentum.

Quod si non possitis mitigare dolorem nec alia symptomata remouere etiam cum stupefacientibus, tunc rogandus est Deus Opt. Max. vt vita ægrum priuet: nam satius est semel mori, quam tantum perferre dolorem & tam longo tempore: nam aliquando cancri hi exulcerati cum tam intenso dolore durant decem & duodecim annos, quod ego vidi in muliere Venera, quæ habebat plures quam centum cancos in toto corpore, sed vnus tantum in mamma erat exulceratus, & credo, quod superuixerit 12. vel 14. annos.

- 10 Si potestis ergo palliare, pallietis: sin minus, rogetis mortem ipsi ægro. Sed notate, quod ego solem euitare & fugere omnia medicamenta dicta in cura palliata, & vtor tantum quibusdam aliis, vt linteis mundis & foliis & hoc modo palliari exulceratos cæcos multos & optimo cum successu: loquor iam de cancri præcipue exterioribus. Capió igitur aquam folatri hortensis, vel ipsa deficiente aquam plantaginis stillatitiam, vel etiam aquam puram decoctam, si alia defint, & in hac vel illa aqua frigida, sed non extreme frigida madefacio lintea munda & superimpono ipsi cancro & super linteum pono multa folia viridia, vt folia folatri hortensis vel plantaginis, si illa non habeantur; si nec hæ, nec illa, capietis folia lactuæ vel nenupharis, & supra folia addatis nouum linteum & obducetis fasciam & ita relinquetis vsque ad vesperam vel ad alteram diem: deinde cum exitu 20 stimabitis folia esse semicocta, detegatis & renouetis & sic semper procedatis vsque ad finem: & hac cura palliatiua vtor ego semper libentius, quam alia per medicamenta dicta, quia in hac sunt munda omnia, mundities autem est maxime affectanda in hoc sæuo & prolixo morbo, & sæpe res mihi optime succedit, & hæc sint satis de cancro exulcerato. Succedit iam sinus, qui ab istis vocatur vlcus cauernosum, de quo in seq.

De sinu seu vlcere cauernoso. CAP. VIII.

- Iam tractemus de vlcere profundo, quod appellant isti cauernosum vel sinum talpum; verba sunt ridicula, tamen & ipsa explicanda & declaranda, vt legentes istorum volu-
 30 mina & incidentes in has voces, intelligatis eorum significationem. Vocant igitur vlcus profundum, quod cauum est, vocant & cauernosum, quia exprimit cauernas terræ: vocant & talpæ sinum, quia vlcus istud habet cauitates & cuniculos similes iis, quos efficit talpa animal sub terra. Auicenna *fen 4. lib. 4. tract. 3. cap. 5.* vocat vlcus profundum, vocat quin etiam cauernam, nec non absconsionem: vocant autem illud vlcus absconsionem, quia tota solutio continui, quæ est in ipso, laet, vnicum enim apparet ostiolum, at magna cauitas & multi cuniculi, qui in ipsa cauitate adsunt, latent. Græci & ipsi donarunt hoc vlcus suis appellationibus: nam Gal. in *2. comm. lib. de officina Medici comm. text. 27.* vocat *κελευσις*, id est, sinum, vnde & latini vocant hoc vlcus sinum. vocat quin etiam Galenus hunc affectum *χελιδίν*, siue chilia, hoc est, ventrem seu cauitatem, quia sicut in ventre continentur fæces, ita in hoc vlcere continentur sanies copiosa. Vocatur à Latinis sinus, eo, quod cauum sit; igitur *κελευσις, χελιδίν* sinusque idem prorsus significant.

- Sed quid est vlcus illud tot modis appellatum? Galenus aliquo modo videtur definire; nam *lib. 2. de loc. aff. cap. 8.* inquit sinum esse cauitatem partium coniunctarum, in qua cauitate partes, quæ debent esse coniunctæ & vnitæ, distant vna ab altera: & quamuis Galenus in hac definitione explicet vobis quasdam conditiones, quæ repetiuntur in sinu, tamen non exacte naturam ipsius explicat, quoniam si quis gladio punctim vulneraretur, & vulnus in interna parte valde dilataretur, vt solet aliquando accidere; in huiusmodi vulnere esset profecto cauitas magna, & partes, quæ deberent esse coniunctæ, distarent, tamen non posset dici sinus: ita vocabo ego semper vlcus istud, sinum videlicet. Pariter oriuntur abscessus seu apostemata magna, in quibus est magna cauitas & pus copiosum. Et partes, quæ debent esse coniunctæ & vnitæ, maxime distant, tamen nullus diceret abscessum esse sinum, valde enim differunt: & ideo opus est addere aliam conditionem, nimirum illam, quæ accipitur ex Galeno *lib. 2. ad Glauc. cap. 5.* & est, vt adsit difficultas aliqua vnionis partium illarum quæ inter se distant, ita vt in sinu non solum adsit magna cauitas, qua partes, quæ debent esse vnitæ, distant vna ab altera, sed etiam vt adsit difficultas vnionis partium illarum internarum, & hac cõditione fit vt sinus differat à vulnere cauo punctim factò: quoniam licet labia illa interna valde distent, facile tamen vniuntur. Differet etiam ab apostemate, quia in apostemate seu abscessu, quauis partes distent, attamen remota sanie possunt facile denuo vniri. Verum oportet, ne decipiamini, vt distinguatis

Nomina.

Quid sinus ex Galeno.

Correctio de- finitionis Galeni.

sinum etiam à fistula, quam isti aliquando confundunt cum sinu, valde tamen differētis nam fistula habet orificium angustum, ita etiam sinus; sinus habet cavitatem amplam, at fistula non habet amplam cavitatem: præterea cuniculi sinus vt plurimū sunt recti, fistule autem cuniculi intortī: insuper cuniculi fistule sunt callosi, sinus aut callium nullū habent.

Causa. Causæ autem sinus quænam sunt, eam proponit Galenus in libello de tumorib. præter nat. cap. 2. & in commentar. lib. de offic. med. comm. textus 27. & 31. & est abscessus: sæpe enim fit inflammatio in parte aliqua & collecta in cavitare materia multa fit abscessus, quo aperto egreditur sanies, sed tãta intemperies in loco est, vt abscessus non possit sanari, sed ex abscessu fiat sinus: Igitur abscessus sæpe est in causa sinus: nam abscessu aperto superuenit inflammationis difficultas proteniens ex intemperie existente in parte affecta, & ita sinus cõsistit 19
quitur abscessum. Guido addit aliam causam & est mala curatio vulnerum, vt quãdo pars vulnerata male collocatur, ita vt male purgetur vulnus, tunc colligitur sanies, quæ fluens ad musculos, illos separat & dilatat & sic fit sinus: & hic est vnus modus, quo mala vulnerum curatio est causa sinuū. Est & alter modus, propositus à Gal. lib. 2. ad Glauc. mala nẽpe confusio; nam sæpe accidebat tempore Galeni, sicut & nunc, vt chirurgi consuenter profunda vulnera arriperent consuendo cutim tantum relicta partib. carnosis & profundis labiorum vulneris, ex quo fit, vt agglutinetur cutis & partes intimæ repletæ grumo & sanie patiantur sinum. Igitur mala curatio vulnerū dupliciter est in causa sinus. Datur & tertia causa, & quidem magis frequens sinuum, & est gangræna & carbūculus: nam sæpe in parte aliqua oboritur carbūculus vel gangræna. Et accidit aliquando, vt ab aliquo istorū 20
maior pars partium existētium sub cute, corruptatur potius, quam cutis: tunc Medicus imponit medicamenta separatantia partem corruptam: & ita cum parum cutis separetur (nam separatur solum id, quod corruptum est) & multum carnosæ substantiæ, fit vt remaneat sinus. Hæ sunt causæ: succedit, vt videamus, an vnicus sit sinus, an plures.

Quotuplex sit sinus.

Duas itaq; reperio species sinus, vt apud Galen. lib. 2. ad Glauc. cap. 8. & apud Aetium lib. 1. 4. cap. 53. & 54. & istæ duæ species sunt ita diuersæ, q; maxime varient curationē. Vna igitur species est, quæ simplex dicitur sinus vel *id est*, eo, q; habeat eas omnes conditiones, quas dixi in differentia sinus, vt osculum angustum, cavitatem magnam, sordem, &c. Altera species est, quæ à Galeno vocatur *id est* *pannus* vel *id est* *pannus*, hoc est, sinus attritus: debetis. n. scire, q; aliquando colligatur sanies inter cutim & subiectas partes, quæ separando 20
cutim à subiectis partib. facit sinum: sed sanies illa aliquando est frigida, aliquando calida & acris: si sit frigida, tunc separat quidem cutim, sed relinquit ipsam in sua crassitie, & tunc sinus ille vocatur simpliciter sinus: Si aut materia saniosa sit acris, attenuatur per erosionē cutis ipsa cõtinuo, & fit veluti attritus pannus, q; pannus attritus vocatur à Grecis *id est*, ideo fit tunc sinus vocatus sinus *id est*, id est attritus, quia cutis est relicta tenuis, attenuata & attrita admodum. Hoc posito, q; scilicet duplex sit sinus, quorum curatio maxime est diuersa, sit modo quisquis sinus voluerit, vel simplex vel rachis, solet habere differētias, quæ oriūtur ratione osculi; nã vlcus istud, i. sinus vterq; potest habere suum osculū vel in parte superiori vel in inferiori vel in laterali: & nisi obseruetis hanc collocationem osculi, non poteritis recte curare sinum: per partem aut superiorē vel inferiorē vel laterale orificiū 20
sinus intelligo positionem mēbri, in quo sinus est: vt, verbi gratia, si esset sinus in brachio vel in thorace, tunc pars illa, quæ est magis versus caput, dicitur superior, & sic de aliis. Itaq; tres habemus differentias sinus vtriusq;, scilicet tam simpliciter dicti, quam alterius, qui attritus dicitur. Sinum, qui habet osculum in parte inferiori, Galen. comment. 2. lib. de offic. med. comm. textus 28. vocat sinum rectum: si autem habet orificium in parte laterali, vocat sinum obliquum, ita & nos vocabimus; si habeat osculum in parte superiori, appellat in eodem loco sinum contrarium recto, & lib. 2. ad Glauc. appellat sinum vergentem ad ima.

Differentia.

Signa. Signa sinuū sunt manifestissima, nã vnusquisq; per impositum specillū vel cadelam, vel p cõpressionē pōt sinū cognoscere, & ideo nō est opus, vt sim in tradēdis signis lōgus. Præfagium autem quoddam est? vos proferetis præfagiū pro ratione magnitudinis 20
sinus, angustia; viæ, sordis & fluxionis materiæ ad locū; nam si magna sit cavitatis, orificiū angustum, admodū copiosa adsit sanies & magna fiat fluxio, malum præfagiū proferetis: si autem omnia hæc erunt leuora, leuius quoq; erit præfagiū: si mediocria, medioere.

Præfagia.

Curatio sinuū simpliciu. Iam accedamus ad curationem, & primo sinus illius simplicioris: nã postea agemus de curatiōe sinus laceri vel attriti. Curatio igitur simplicis sinus cõsistit in exiccatione totius habitus, atq; ipsius vlcis: & ratio est tradita à Gal. in lib. de tumor. præter nat. c. 4. quia sinus sunt propter fluxionem; fluxio aut fit à toto corpore, ideo oportet attenuare totum habitum vt exiccetur: attenuabitur autem primo per rationem victus, qui siccat atq; attenuet. Sed in vict^o ratione institueda pro curatiōe sinu videtur esse magna cõtrarietas inter 20
Aucennam

Auicennam & Galenum, quoniam Auicenna in curatione sinus vult, vt exhibeamus ea quæ habeant vim humectandi & replendi venas bono sanguine, vt possit optima caro gigni. Galenus autem præcipit exhibere ea, quæ attenuent & siccent. Sed contrarietas est in verbis, summa autem vna est & eadem: nam dum instituimus victum in hoc morbo, possumus respicere ad duo, scilicet vel ad sinum, vel ad habitum corporis, & ad causam sinus: Tunc dico, quod Galenus respexit ad habitum totius & ad fluxionem: & ideo vt recidatur causa sinus, nempe fluxio ipsa, quæ fluxio fit à toto corpore, vult, vt in principio exhibeamus ea, quæ attenuent & siccent: sinus enim succedunt ad abscessus, abscessus vero sunt ex fluxione, & fluxio ex toto habitu. Ergo vtendum est ea victus ratione, quæ tollet causam, nimirum fluxionem: hæc igitur de causa Galenus instituit rationem victus siccantem atque attenuantem. Auicenna vero respexit ad aliud, videlicet ad sinum, quem sibi proposuit iam exiccatum & mundatum, & indicat solam repletionem ex carne, & ideo exhibet ea, quæ generant optimum sanguinem, vt possit generari bona caro & cavitatis expleri, quare nulla est inter ipsos contrarietas. Vos igitur in principio instituatís victum siccantem atque attenuantem; sed antea videndum vobis est, an cum sinu coniuncta sit febris, nec ne. Si febris adsit, instituetis victum humidum & frigefacientem, & vt exequamini etiam sententiam Galeni, exhibeatis paucum cibum; nã hoc modo habebitis præter refrigerationem & humectationem etiam attenuationem, quoniam paucitas cibi attenuat habitum; si autem non aderit febris, instituatís victum attenuantem & siccantem.

Instituta recta ratione victus, videbitis an adsit abundantia sanguinis, quæ si aderit, lenta aluo, secabitis venam; deinde præparabitis, humores, vltimo eos euacuabitis, & exhibebitis ea, quæ opportuna erunt pro quolibet humore: nam sinus oportet fieri ex fluxione cuiuslibet humoris; cum enim sequatur ad abscessum, & abscessus fieri possit ex quolibet humore, sequitur quod & sinus fiat ex quolibet humore.

His factis deueniendum est ad locum affectum, cuius integra curatione consistit in tribus, & curatione est satis difficilis, egetque diligentia maxima; sanabilis tamen est affectus. Primum igitur, quod est agendum in curatione loci affecti, scilicet ipsius sinus, est vt tradamus liberum exitum ipsi saniei, quæ colligitur in cavitare, vt per emissarium aliquod continuo effluat, hoc optimum est tentandum. Secundum est, vt reddamus sinum ipsum seu cavitatem aptam ad agglutinationem. Tertium vt agglutinemus. Itaque si sinus habeat orificium in parte inferiori, non opus est arte nec labore ad faciendum, vt sanies non retineatur, quia per se continuo effluet, & satis erit, osculum illud apertum seruare. Si autem orificium esset in superiori, opus & arte erit & diligentia maxima, quia sinus erit veluti faccus & nihil saniei poterit effluere; sicut etiam, si orificium fuerit in parte laterali. Si igitur orificium sinus sit in parte superiori vel laterali, tentandum est, vt sanies libere exeat: id autem fieri potest tribus modis; vel situ & collocacone opportuna; vel apertione, vel deligatione: situ quidem; nam sæpe sinus est in parte aliqua, cui tradito opportuno situ, sanies prompte & libere continuo effluit, vt fuit sententia Galeni in *2. de offic. Med. com. textus 28. & lib. 2. ad Glauc. vt, verbi gratia.* Si sinus esset in brachio vel in femore, quauis haberet orificium in parte superiori tamẽ per collocacone orificium fiet inferius, quia si vlna vel genu atollatur, fit vt osculum sit inferius. Hoc itaq; modo per collocacone tentabitis dare exitum liberum saniei, ne intus retineatur. Sed sciatis, quod quando accidit, vt per situm non possimus id præstare, nec orificium seruare apertum; quid igitur agendum, si membrum, in quo est sinus, sit optime collocatum, & tamen osculum non sit apertum? Recentiores seruant ipsum apertum fistula plumbea vel ex ære & vt plurimum argentea vtentes, quibus fistulis & ego vtor aliquando: sed interdum vtuntur etiam, sicut & ego, cannulata tenta, quæ fit ex tela aliqua, quæ sit imbibita aliquo cerato vel aliqua resina, capiunt, verbi gratia, ceram vel resinam aliquam & apud ignem eliquant, deinde

insundunt linteum, mox extrahunt & sinunt, vt refrigeretur, & ex hoc postea linteo accepta portione aliqua faciunt fistulam, siue tentam cannulatã & imponunt optimo aliquando cum successu. Ego vero vtor libentius foliis hederaceis: accipio folium, inuoluo illud, deinde ligo flocco stupæ vel filo tenuissimo & inicio & optime detinet apertum orificium & expurgatur sanies & non facit dolorem, vt facit tenta illa, quia cedit aequaliter. Itaque quãdo collocaueritis membrum sine affectum ita, vt orificium sit in parte inferiori, opus est seruare orificium apertum, quod fiet vel per iniectam fistulam plumbeã, vel auream, vel argenteam, vel per tentam arundinosam, vel per folium hederaceum. Verum aliquando non possumus situ efficere, vt orificium respiciat inferius, vt accidit, quando sinus est in thorace vel dorso; si enim velleis, vt orificium sinus in his locis existetis respiceret in-

Vena scilicet.
Purgatio.

Curatio loci
affecti.

Si orificium
sit in parte
superiori vel
laterali.

ferius, oporteret hominem pedib. suspendere, & ideo opus est tunc sectione aperire sinum in parte inferiori. Sed quomodo fit hæc sectio? Recentiores dicunt, quod debeamus tentare, vt in sinu colligatur multa sanies, quod fiet, si clausum detineatur eius orificiū: nam per saniem illam extendetur magis cutis sinus: secundo faciunt hoc, vt cutis illa attenuetur, quia sanies erodit & attenuat: extensio autem cutis inferuit ad hoc, vt cognoscamus melius quantitatem sinus: hoc facto, accipiunt organum quoddam, quod est veluti maxima acus ex iis, quibus consumimus vulnera, nam in summo apice habet veluti geminas alas, in altero autem apice foramen seu auriculam vocatam, in quam iniiciunt funiculum satis crassum, deinde accipiunt hoc organum, & in eius aciem ponunt parum cere, deinde immittunt hanc aciem in orificium sinus, & cum peruenerint ad fundum in parte op-
 10
 posita & inferiori, adigunt aciem & forant, extrahuntq; funiculum, quod postea inibi relinquitur, vt tracto modo sursum, modo deorsum sanies habeat, inquit, emissarium semper apertum: quod funiculum puto aliquando vos vidisse in equis; nam est medicina equorum, & huiusmodi funiculum vocant setonem vulgo setagno. Sed quamuis faciat ad euacuationem saniei, tamen in sinu non est opus funiculo, quia sat est, vt sectio seruetur aperta. Præterea funiculus habet hoc incommodum, quod reddit orificium callosum, & ideo malum est præcipue, quia nos non volumus seruare foramen longo tempore apertum, imo tentamus, vt sinus agglutinetur quo citius fieri potest. In affectibus autem oculo-
 20
 rum, qua opus, vt cauterium, seu foramen factum per setonem in occipitio maneat diu-
 pertum, ideo inibi relinquitur funiculus. Sed hæc necessitas, vt dixi, non est in sinu, & ideo ex Galeno dico, quod sat sit, vt orificium seruetur apertum per iniectū liquidum. Adde & aliud, q; mihi non placet, & est quod malum sit tentare, vt copiosa sanies colligatur in sinu, quia atterit, corroditq; cutim, & ideo ex simplici sinu poterit fieri attritus: & ideo dico, q; sat sit, vt mediocri quantitas saniei colligatur in cavitare.

*Improbatio
funiculi rec-
torum.*

*Deligatio ex-
primens.*

Quod si nec per situm, nec per setonem possitis facere, vt sanies continuo effluat (accidit enim aliquando, vt ager nolit admittere setonem vel sectionem) vel aliā ob causam non possitis eam moliri, tunc tentandus est exitus continuus saniei per deligationē, que talis sit, vt continuo exprimat, quequid saniei in cavitare colligitur. Et hæc vacuatio quamuis non sit præcipua ratio euacuandi & tradendi liberum exitum ipsi saniei, tamen cogi-
 30
 mur ipsa vti, & est etiam satis opportuna: Fit autem expressio hæc per plumacolum seu splenium sæpius duplicatum & crassum: nam imponimus hoc splenium supra abscessum, deinde ligamus fascia, & deligatio debet fieri hoc modo, vt incipiat in parte inferiori circa fundū sinus, & finiat ad orificiū. Etiam in deligatione notate, q; primæ deligationes debeant esse arctiores, vltimæ autem laxiores, vt id, quod est expressum à primis deligationibus, colligatur facilius à secundis, tertiis & quartis, & exprimatur.

*Agglutina-
tio sinus.*

Hæc pertinebant ad primum caput agendorum circa sinum. Secundum erat vt red-
 40
 deremus sinum aptum ad agglutinationem, quod fiet per maximam sinuationē & maxi-
 mam deterfionem. Nam cum factus sit sinus ex defluxione & adsit sanies copiosa, vt sem-
 per adest necessario, requiruntur ea, que maxime siccant, deterguntque sum mopere. Et
 ideo Gal. 2. de offic. med. lib. 2. ad Glauc. dicit, q; requirantur valide siccatia atq; detergen-
 tia, vnde Auicenna infundit suum apostolicum, vel lixiuium, q; maxime siccat & deter-
 git, vel aquam marinam, vel aquam aluminosam. Galenus & ipse habet sua medicamēta,
 quib. vtebatur, & sunt validissima, & vnum est, quod vocatur diacharta, i. medicamētum
 ex charta combusta, quod describitur lib. 5. de comp. med. per gen. cap. 14. & describitur etiā
 à Paulo, à Nicolao Myrepsio & aliis multis; & sciatis, quod in ipso recipiatur papyrus an-
 tiquorum, qua nos caremus. Ego tamen quando curo hoc medicamentum parari, vtor
 typha pariter combusta, & est herba in aquis nascentis habens easdem vires, & est materia
 illa, que imponitur rimis dolorum, ne vinum effluat, & vulgo dicitur pauero. Vtitur etiā
 Galenus medicamento Macaronis, quod describitur lib. 5. de comp. med. per gener. cap. 3. &
 50
 est robustissimum medicamentum. Addit idem Galenus emplastrū Epigoni vel empla-
 strum Iliadis dictū, & hæc omnia robusta sunt, quia recipiunt vel eruginem eris, vel squamam
 æris, vel alumen vel quid simile. Sed dicit aliquis, tu supra dixisti, vlcera magna,
 quale etiam est sinus, à medicamentis validis reddi fordiora & proritari, quomodo igitur
 60
 medicamenta à Galeno proposita, cum sint validissima, in sinu conuenient? Dico, q;
 quamuis sint robustissima, tamen non vtimur ipsis syncretis: nam debetis scire, q; cū sinus
 sit vlcus cauum, si nos imponeremus medicamenta solida, medicamentū illud nō disper-
 geretur per totam cavitatem. Et ideo oportet omnia medicamenta, quib. in sinu vtimur,
 dissoluere & liquida reddere vel oleo vel aliquo liquore, quo fit, vt medicamēta, quibus
 70
 sint

Obiectio.

Responsio.

sint robustissima, tamen reddantur mediocria, & ita medicamēta Galeni opportunissima sunt, & ipsis ego semper vtor, non autem apostolico Auicenna, quia habet in se indā, nec aquis illis, nec aliis ab ipso propositis: & inter illa Galeni præcipue vtor Iſide dissoluto oleo, sed olei magna requiritur quantitas, ita vt pro vna vnciā emplastri Iſidis opus sit accipere ad minus sex vncias olei. Verū in admiscendo oleo & dissoluēdo hoc medicamēto, notate, q̄ pro ratione loci affecti oporteat modo cum hoc, modo cum illo oleo Iſidis emplastrum dissoluere: nam in sinu aliquando est calor aliquis & inflāmatio; aliquādo nulla adest inflāmatio: si inflāmatio sit coniuncta cum sinu, medicamentum est dissoluedum cum oleo aliquo refrigerante, quale est rosaecum, violaecum, nenupharinū, myrrinum & huiusmodi: nam simul & semel medicamentū deterget, sicabit & resistet inflāmationi. Si autem non ad sit inflāmatio, Galenus dissoluebat cum oleo communi antiq̄uato, quia detergiē: Sed quia nostri Seplastrii non habent antiquum oleum, nisi arte illud pareretur, ideo ego vtor locis ipsius chamomelino vel lihorum alborū, vel masticino, quia calescit & attenuat. dissolutum cum fuerit medicamētum, iniiciatur: potest autem iniici triplici instrumento vel cum vesica, vt faciebat Galenus, vt habemus apud ipsum *lib. 2. ad Glauc. cap. 8. & lib. 2. de comp. med. per gen. c. 5.* accipiebat vesicā parua, cui adaptabat fistulam, ex qua cupq; fuerit materia, deinde implebat vesicā medicamento & per compressionem vesicæ iniiciebat. Secundo potest iniici piulco vocato organo, & est organon attrahens saniem, cuius mentionem feci alias in vulneribus thoracis. Tertio potest **20** iniici cum clystere. Expleta cum fuerit cauitas ipso medicamēto, tentanda est conseruatio medicamenti in sinu: nam si egredereatur, non sicaret, nec detergeret, & quanto diutius continebitur intus in cauitate, tanto melius erit: vnde ego in hernia, vbi nequeo extrahere folliculum, soleo iniicere Iſidis emplastrum dissolutum, & statim iniecto vel paulo post clauditur orificiū, quasi natura ipsa hoc volente, & medicamentū retinetur in seroto aliquādo sex, septem & aliquando decem dies, & interim medicamētum erodit folliculum & carnē etiā, si sit hernia carnosa; sit postea abscessus, quo a petto extrahitur folliculus. Igitur cōseruandum est medicamentum intra sinum quam diu fieri potest, & cum egressum fuerit, iterum iniiciendum, hocq; faciēdum, donec videbitis vlcus esse siccatum & optime deterfum, quod cognoscetis, quia tūc incipiet gigni aliqua portio bonæ carnis

30 & egreditur sanies concocta: hæc cum videritis, dicatis vlcus esse deterfum & siccatum. *Signa vlcis detergi & siccati.* Scopus agglutinandi sinus.

& siccatō sinu inſurgit tertius scopus, cui debet Medicus ipse satisfacere, qui est, vt agglutinetur sinus, quod fiet, si vniantur partes inter se, ita vt se contingant, & imponenda ea medicamenta, quæ sua visiccante & astringente habent facultatem agglutinandi. Vt autem satisfaciatis huic scopo, debetis imitari Galenum *lib. 2. ad Glauc.* qui vult, vt omnis medicamentis detergentibus & siccantibus, vt emplastro Iſidis & reliquis supra dictis, abluiamas sinum aliquo mediocri, vt possit fieri agglutinatio, & primo abluit cum meliherato suavissimo, hoc est, aqua, in qua coctum sit mel, vel vramini vino dulci & aliquādo austerō; nam ratione dulcedinis mediocriter deterget: ratione autem austeritatis adstringet aliquantulum & ita faciet ad agglutinationem. Facta ablutione exprimitis lotionem & imponatis medicamentum agglutinās, & erit illud, quod imponitur cruentis vulneribus, de quibus medicamentis habuistis à me enumerationem anno superiori, eum agerem de vulneribus, & inter ipsa præcipuum locum tenent, ait Galenus, barbara ex asphaltō, hoc est, ea, quæ recipiunt bitumen, de quibus videatis Galenum *lib. 2. de comp. medicament. per gen. cap. penult. & vlt.* Sed sunt & alia præstantissima in hoc casu, & inter cætera ait Galenus sunt illa constantia ex metallicis, illa, inquam, inter constantia ex metallicis, quæ chera dicuntur à Græcis, à nostris autem gilua vel fulua ratione coloris, & sunt opportunissima ad agglutinandos sinus, non quidem ratione coloris, sed ratione metallorum ex are, quæ in ipsis sunt: & inter hæc etiā medicamenta chera vocata primas obtinet illud, quod dicitur à Galeno chiron ex metallis, hoc est emplastrum ex metallis, de quo videatis Galenum *libro secundo de comp. medicament. sec. gen. capit. duodecimo.* reuera in agglutinandis difficillimis & maximis similibus istud superat omnia alia medicamenta: sunt etiā opportuna illa medicamenta, quæ à Græcis dicuntur *quis*, à nostris autem *fulcæ*, nam habēt ærugines & squammas decoctas, quæ talem generant colorem in ipsis. De horum autem medicamentorum materia legatis Galenum *lib. 6. de comp. med. per gen. cap. 10.* vbi plura describit medicamenta talia. Itaq; imponatis aliquod istorū, & præcipue emplastrū illud ex metallis Galeni. Modus aut imponendi est: mādāt Galenus, vt accipiamus magnū linteam, & super ipsum extendamus medicamentum, deinde in ea lintei huius parte, quæ debet respicere orificiū sinus, vult vt amputemus portionē & faciāmus foramē, vt per ipsum possit sanies ex sinu egredi. Facto foramine imponendum

Quomodo iniiciatur oleū in sinum.

Signa vlcis detergi & siccati.

Scopus agglutinandi sinus.

est linteum supra totum sinū, ita ut occupet etiam aliquid partis sanæ; ita enim magnū debet esse linteum: hoc factū quia & orificiū sinus debet teneri apertum aliquo medicamento, ideo vult Galenus, ut capiamus paruum linteolum oblitum eodem medicamento & superimponamus. Tertio capiatis spongiā magnā vel loco spongiæ splenium sepius duplicatum, & imbuatis vino multo vel aqua multā, vel vino antiquo, vel vino dulci austero, vel austero tantum, & ita madidam spongiā superimponatis: quātto adigitis facias, quibus comprimētis & spongiā & sinum; nam per hoc assequemini secundam indicatam in hoc tertio scopo; dixi enim scopum hunc habere duas partes; quātum vna est, ut uniamus partes sinus ita, ut se contingant; quo fieri possit agglutinatio, & hoc præstabit vobis deligatio: altera erat impositio alicuius medicamenti agglutinantis: deligabitur igitur, ita tamen, ut deligationes incipiant circa fundum sinus, & sensim ascendendo desinant ad orificiū, in quacumque parte orificiū extiterit, & ita deligatum sinum relinquētis vsque ad alteram diē vel ad tertiam. Sunt enim aliqui sinus, in quibus possumus protrahere detractionem vsque ad tertiam, aliqui vsque ad alteram diē tantum. Igitur relinquētis ita vsque ad secundam vel tertiam diē, interimque nihil aliud faciatis, nisi quod videatis; an spongia vel plumaceolus vel splenium exsiccatum sit, nec ne. Quod si erit siccatum, imbuētis iterum vino vel alio dictorum liquorum, ut per hoc tollatur omnis defluxio & cōseruetur temperies partis: altera die vel tertia aperiatis locum, & nisi sinus sit agglutinatus, iterum abluētis & renouētis eadem omnia, quæ prima die fuerant imposita, vel linteum oblitum, spongiā, &c. Cognoscetis autem an sinus sit agglutinatus nec ne ex propriis signis, quæ sunt, si paucus vel nullus ichor egrediatur secunda vel tertia die: secundo si paucus ille ichor, qui egreditur, sit concoctus, boni coloris & substantiæ: Tertio si sinus non doleat, nec proritetur ad tactum: quarto si aderit humor aliquis, & videatis quod altera vel tertia die defecerit, vel si nullus adfuerit, nullus sit factus tumor. Hæc cum videritis, dicatis quod sit facta agglutinatio & quidem bona. Sed notate ex Galeno, quod secunda vel tertia die soleat post impositionem medicamenti effluere ichor tenuis admodum & valde aquosus, & in hoc dicit Galenus, debetis esse cauti, ne semper, cum videtis hunc ichorem, dicatis, quod non sit facta bona agglutinatio, quia inquit hoc accidere aliquando propter siccantem vim impositi medicamenti & exprimentem ichores & humiditates illas. Et ideo si in altera vel tertia die post impositionem medicamenti videbitis effluere ichorem tenuem & aquosum, non desperetis de agglutinatione: at si post tertiam diē, ut quarta vel quinta videbitis talem ichorem tenuem egredi, tunc habeatis pro signo certo, quod non sit facta agglutinatio; & ideo opus est auferre & dimittere medicamentum agglutinans & redite ad priorem curationem, scilicet ad detergentiā & exiccantiā, & facta bona detersione & exiccatione redeatis de nouo ad agglutinantiā: nam cum facta fuerit optima detersio & mundificatio sinus, videbitis quasi miracula per impositionem medicamenti agglutinantis: ego. n. vidi per solam impositionem medicamenti agglutinantis vna die maximos sinus agglutinatos & hæc de curatione sinus simplicis, in quo cutis sinus est in sua naturali crassitie.

Curatio sinus lacerti seu attriti.

Deuenio ad sinum lacerti seu attritum, in quo maxima est opus diligentia: nā aliquando cutis sinus est ita attenuata, ut sit penitus coriacea & veluti subtilissima charta, nec habet suum colorem naturalem, sed est vel subpallida vel nigricans, & tunc non debetis sperare, quod possit cutis ipsa agglutinari cum subiectis partibus, sed oportet ipsam eximere imposito aliquo medicamento exedente vel in extrinseca facie supra ipsam, vel in facie interna in cavitare sinus: nam cutis, quæ est sicca & attenuata & in colore mutata, nequit cum subiectis partibus agglutinari. Quod si sit quidem attenuata & attrita, sed non decolor, tentanda est curatio & agglutinatio cum subiectis partibus; nam aliquando succedit. Debetis autem in curatione huius attriti sinus uti eisdem medicamentis, quibus in alio simplici utebamur, omnia tamen debent esse mediocria, vnde nō deuenire in hoc sinu ad emplastrum Isis, nec ad illud Macherionis, nec ad diachartum. Et si non valida admodum sint, quoniam nimis exiccatur cutis, vnde pro detersione esse mētētis melle rosaceo, vel si vellē aliquantulum validius, uteretur melle crudo, & ita eliquarem mel & iniicerem, & ad maiorem detersionem admiscerē succum apii & si haberi possēt, vel eius loco succum fœniculi, vel anagallidis, vel althææ; ab acribus autem & metallicis in hoc abscessu penitus abstinere, quia nimium exiccāt cutim sinus, cum videtis vlcus esse detersum, & quod cutis incipiat crassescere & aliquid carnis gigni, imponatis aliquod agglutinans, sed non ex robustis illis prædictis, & bene abluētis cum liquoribus supra dictis; postea autem imponetis medicamentum agglutinans lenius, quale est diapalma, quæ certe in hoc casu est optimum, nam moderate siccat & modice expellit; nam facultas sic-

icans magna chalcanthi & lythargyrii retunditur ab axungia & oleo veteri : vnde ego in habitibus præcipue delicatioribus & vbi cutis attrita est, semper hoc vtor, imposito linteo cum medicamento hoc supra totum sinum, vt supra dictum est: superaddenda est spongia & fascia, & eadem omnia sunt seruanda, quæ in simplici sinu, vel loco diapalmæ vtor emplastro Galeni, quod dicitur emplastrum ex melle & fit hoc modo: *coquimus mel quousque acquisierit crassam satis consistentiam, & cum est prope cocturam, addimus myrrham, & aloem in pauca quantitate, & fit medicamentum præstantissimum, quod ea omnia præstat,* quæ requiruntur; hoc igitur poteritis supra linteum magnum extendere & imponere sinui, & reliqua deinde omnia agatis, quæ dicta sunt in sinu simplici. Et hæc de sinu: ¹⁰ quitur fistula, quæ est veluti soror vel frater ipsius sinus, sed de ipsa agemus in sequenti.

De fistula. CAP. IX.

Inter maligna vlcera malique moris habet & locum ¹⁰ *abest* à Græcis dictum vlcus & à Latinis fistula, quam quidem venuste satis definiuit Galenus *capit. 5. libri de tum. præter nat.* & Paulus *lib. 4. cap. 49.* & Aetius *lib. 14. cap. 55.* verum nullus inter autores, tum recentiores, tum superioris seculi, rectius, breuius, & elegantius fistulam definiuit, quam ipse Celsus *lib. 5. cap. 188.* qui quatuor verbis tantum explicauit nobis naturam huius vlceris, dicens, fistulam esse vlcus altum, angustum & callosum: igitur omne vlcus, quod habet ²⁰ cavitatem profundam, sed angustam & callosam, fistula erit dicendum. Ex quo colligatis inscitiam illorum recentiorum, qui cum primum vident aliquod vlcus profundum, eiciunt illud esse fistulam; vnde omnes sinus vocant fistulam & male faciunt, quia tres requiruntur conditiones dictæ, ad hoc vt vlcus aliquod sit fistula, videlicet vt cavitatis sit profunda; secundo, vt sit angusta, & reuera est aliquando ita angusta, vt non possimus etiam specillum iniicere; tertia est vt adit callositas, & hæc est præcipua conditio, nam ipsa fere sola constituit naturam fistulæ. Debet igitur labia cavitatis esse dura & callosa & doloris expertia. Verum animaduertatis, quod autores & quidem probatores aliquando abutantur hac voce *fistula*, vt reperietis apud Galenum *lib. 2. ad Glauc. cap. 8.* vbi vocat nomine fistulæ vlcus tendens ad naturam fistulæ, & dicit etiam se sanasse plures ³⁰ fistulas; in quibus erat sordes & non callus, medicamento illo ex metallis: ex quo loco apparet manifeste ipsum vocare fistulam vlcus, in quo tamen defunt illæ conditiones: Igitur fistula duo significat; primo fistulam improprie dictam, secundo proprie dictam, in qua sunt illæ tres conditiones, de hac nos loquimur in præsentia.

Huius causæ sunt variæ, & primo mala curatio vulnerum; secundo abscessus male purgati, vt supra dictum est, sunt sæpe in causa sinus, & ex sinu postea fit fistula, restricto scilicet & calloso reddito sinus orificio. Tertio causæ fistulæ solent esse fluxiones copiosæ ad quodlibet genus vlceris caui. Igitur causæ fistularum sunt vel vulnera male curata, vel sinus, vel diuturnæ fluxiones ad caua vlcera.

Sed quæres iam, an fistula vnus tantum sit generis, an vero patiatur differentiis. ⁴⁰ *Differentia.* quod habeat differentias varias accepiat à magnitudine, à numero, à situ, & à parte, in qua est; vnde recentiores loquentes de fistula dicunt, quod aliqua sit breuis, aliqua longa, ita vt perueniat aliquando ab vna superficie femoris, verbi gratia, ad alteram superficiem, & aliquando longitudo est vnus dodrantis, hoc est, duodecim digitorum; aliquando fistula est minoris longitudinis, aliquando maioris; aliquando etiam fistulæ sunt rectæ, id est, quæ recta penetrant ad aliquam partem, & aliquæ sunt obliquæ & per transversum penetrantes: præterea aliquæ sunt simplices, aliquæ duplices vel triplices & quadruplices: aliquando vnum erit foramen apparens, tamen ad ipsum pertingunt duæ vel tres vel quatuor fistulæ, & in his perquirendis debet Medicus esse admodum diligens. Item aliquæ sunt rectæ; aliquæ tortuosæ, sed vt plurimum fistulæ sunt intortæ; ita vt agitent ⁵⁰ Medicos in inuestiganda via & quousque pertingant. Differunt etiam fistulæ ratione partium, & hæc differentiæ sunt tanti momenti, vt euariant curationem, & aliquæ sunt insanabiles: sunt etiam aliquæ in parte carnosa, quæ sunt sanabiles; aliæ pertingunt vsque ad ossa vel vsque ad cartilagineas; aliæ, quæ perueniunt ad interiores partes, vt ad vesicam, vel ad cavitatem thoracis & ad pulmonem, aliquæ pertingunt vsque ad stomachum: & ego vidi iam duas fistulas peruenientes vsque ad os ventriculi, aliæ perueniunt vsque ad guttur, aliæ vsque ad neros, aliæ ad arteriam, aliæ ad magnam aliquam venam, quæ omnes sunt insanabiles, tot sunt differentiæ.

Signa autem, quibus fistulæ cognoscuntur, alia sumuntur à propria substantia ^{signa.} fistulæ: à substantia quidem, vt à callositate, profunditate & ab angustia; alia sumuntur

ab iis, quæ egrediuntur: à callositate, quoniam de substantia fistulæ est, ut sit callosa, profunda & angusta. Quod autem sit callosa, & profunda & angusta, cognoscetis ex iniecto specillo: secundo cognoscetis callum imposito digito in exterius orificium: nam si perlenferitis aliquantulum humidum & durum orificium, dicatis, quod vlcus sit fistulosum. Tertio cognoscitur callus imposito medicamento acri, ut est mel; nam si non sentiat moridicatio, signum est, quod adsit callus. Cognoscitur etiam vlcus esse fistulosum ex profunditate & angustia, & aliquando tanta est angustia, ut nec argenteum specillum possimus iniicere; vnde Galen. *lib. 1. de compos. medic. per gen. cap. 7.* inquit, quod aliquæ fistulæ sint interdum ita angustæ, ut opus sit inuestigare ipsas feta porcina iniecta: accipimus enim fetam pilum scilicet porcinum, & in eius summum ponimus parvum ceræ, deinde iniicimus, ut tentemus profunditatem: aliquando tentamus hoc specillo plumbeo vel stanno, quoniam nam interdum & pro maiori parte fistulæ sunt ita intortæ, ut non possimus tentare profunditatem specillo argenteo vel aliqua alia re dura: & ideo tunc confugimus ad specillum ex plumbo vel a re: ego tamen ut plurimum utor candelis subtilibus, quas habeo semper paratas ex cera alba & ipsis magis fido, quam cuicunque rei alii, nam flectuntur eo modo, quo inuertitur fistula.

Signa ab egressu. Secundo accipiuntur signa ab iis, quæ egrediuntur, ut cum videritis adesse profunditatem, angustiam & callositatem, & præterea egredi sanie tenuem & virulentam ut plurimum ac copiosam satis, dicatis, quod vlcus sit fistulosum. Quod si sanies virulenta sit copiosior, quam deberet, proportionem habita ad unum orificium, colligatis, non esse vnicam fistulam, sed duas vel plures. Præterea si sanies egrediens sit alba & boni coloris, signum est, quod fistula sit in parte carnosâ, dicat quicquid velit Guido, qui vult, tunc indicare, quod fistula sit in parte carnosâ, quando sanies est nigra: sed ego in hac re sum potius cum Celso, qui dicit, *quod si sanies exeat alba, indicium est, vlcus esse in parte carnosâ.* Sed si sanies egrediens non solum sit tenuis & multa & virulenta, sed etiam habeat admixtam pinguedinem & sit veluti oleum, signum est, quod fistula perueniat vsque ad neruum. Si vero exeat continuo sanies cruenta, signum est, quod peringat vsque ad arteriam vel venam aliquam magnam. Vltimo si sanies sit aquosa, multa, virulenta & admodum fetens, indicium est, quod peringat vsque ad os, præterquam quod specillo iniecto ossis durities perferentur: aliquando tamen non possumus specillo, vsque ad os peruenire propter inuersionem fistulæ: & cum fistula peringat ad os, accidit aliquando ut vitari os in superficie tantum, quod cognoscitur, quia perferentur asperitas tantum iniecto specillo: aliquando vitatur os ita, ut corruptum sit & cariosum redditum, & tunc specillo percipiuntur certa foramina, & cum adest ossis corruptio, sanies exit copiosa nigra & maxime fetens, non ita autem, quando os est tantum exasperatum & inæquale redditum.

à dolore. A dolore quoque cognoscitur fistula & quousque peringat: nam si specillus perueniat vsque ad fundum & fiat dolor maximus & veluti conuulsio, signum est, quod fistula definat ad chordam vel neruum aliquem magnum: si autem non perferentur dolor, signum est peruenire eam vsque ad os vel ad cartilaginem: pariter quando specillo peruenieritis vsque ad partem aliquam mollem & non sit dolor, tamen post extractionem specilli sequitur sanguis, indicatur fistulam peringere vsque ad aliquod magnum vas, siue sit arteria siue vena.

à tempore. Ex tempore quoque cognoscitur fistula: quia si videritis vlcus longo tempore perdurasse, non est dubitandum, quod sit redditum fistulosum. Ex his signis cognoscetis, an sit fistula, quanta sit, ad quam partem perueniat, & an recta vel obliqua.

Præsignum. Hoc cognito afferendum est præsignum, & necessario est afferendum & prænunciandum, quid sit successurum, quoniam aliquando fistulæ sunt insanabiles. Dico itaque quod omnes fistulæ existentes in parte carnosâ ex natura partis affectæ & propter fluxionem perpetuam curabiles quidem sint, sed magna cum difficultate: tamen si æger velit se obedientem præstare ad omnia recte proposita, sanantur. Si autem fistulæ peringant ad rectum intestinum vel ad ventrem, vel ad vesicam, vel ad cauitatem thoracis, vel ad articulum coxæ, vel ad vertebrae dorsæ, vel ad magnos neruos, vel ad arteriam aut venam magnam, fistulæ illæ vel nunquam sanantur, vel miraculo artis vel ipsius Dei. Quod si fistulæ peringant ad ossa & chordas vel musculos recti intestini, vel ad canalem vrinarium, sanabiles sunt, sed diuturno tempore ac maxima cum difficultate.

Curatio. Iam succedit curatio, quæ in tribus præcipue capitibus continetur: primo quidem ut corpus totum exiccemus: secundo ut exiccemus & detergamus locum affectum: tertio ut vlcere & corpore toto siccato ipsum sanemus. Iam tractemus primum caput, cui sa-

enl satisfacere possumus tribus modis: primo quidem victus ratione, secundo euacuati-
one, & tertio potionibus seu medicamentis quibusdam, ita solent facere recentiores &
quidem recte.

Victus igitur debet esse attenuans & siccans admodum, vt & Celsus & omnes alii *Victus ratio.*
dicunt; vnde omnes cibi humectantes vel cum humidis parati mali sunt: & ideo caro fit
potius assata sitque siccans, vt ex auculis montanis; herbarum illarum, quæ attenuant & ca-
lesfaciunt, bonæ sunt, vt crucea, serpillum, petroselinum & similes: hoc modo exiccabitur
victus ratione.

Nec euacuatio est despicienda: ideo si aderit plenitudo, secetur vena: si cacochymia, *Euacuatio.*
10 quemadmodum solet vt plurimum adesse, exhibeatur pharmacum, lenita tamen prius
aluo & facta preparatione. Addit vnum Celsus, quod laboranti fistula sæpe fit prouocan-
dus vomitus radicula, id est, raphani vsu: verum cum nos non habeamus vomitum in v-
su, sed ipsum fugiamus, tanquam præter modum grauem & molestum, ideo eliciemus com-
mune præceptum ex Celsi dicto, quod subinde viscera sint expurganda ab excrementis:
nam per vomitum euacuatur pituita ex ventriculo, loquendo non de vomitu, quo euacuatur
totus ambitus. Debetis enim scire, quod duplex sit vomitus; vnus, quo euacuatur
totus ambitus, & iste fit per vsum ellebori; alter, quo purgatur ventriculus tantum à pitui-
ta, & de hoc intelligit Celsus. Cum ergo Celsus vtatur vomitu, & vomitus nunc non sit
in vsu, colligo, quod loco ipsius debeamus vti aliquo, quod loco radicula & vomitus sa-
tisfaciat: & ideo consulo vobis, vt exiccato corpore per rationem victus, vel interim, dum
20 exiccatur, exhibeatis sæpe cassiam simul cum speciebus hieræ vel aliud simile medica-
mentum.

Tertius modus siccandi corpus est per exhibitionem medicamentorum valde sic-
cantium, quorum non reperio mentionem apud antiquos, sed à recentioribus tantum pro-
ponuntur, & optima quidem sunt & ego expertus sum ipsa in fistulis, præcipue illis quæ
pertingunt ad neruos, vel ad canalem vrinarium & in aliis similibus. Inter medicamenta i-
gitur, quæ exhibentur, est hoc decoctum: *Decoctum sic-
cans.* *Rec. fol. plantaginis M. j. fol. agrimonie. M. ij. fol. oliuæ
viridum M. j. vini albi quantum sufficit.* Folia hæc omnia debent esse viridia, terantur,
miscantur cum vino & coquantur, huiusmodi vini postea exhibeatur cyathus vnus, verbi
30 gratia, quatuor vel quinque vnciæ. Medicamentum hoc quamuis recentiorum sit, tamen
à quibusdam appellatur medicamentum Cardinalis Bembi, quia reuerendissimus ille Car-
dinalis fuit olim sanatus à fistula hoc decocto, vnde medicamentum est nobile, sed nobili-
us nomen accepit à reuerendissimo illo viro, qui literis ita claruit, vt ei sit facile præ-
ferendus, medicamentum est præstantissimum, & ego vsus sum ipso optimo cum succef-
su. Aliqui siccant etiam corpus exhibendo decoctum guaiaci, in vino factum. Ego in fistu-
lis præcipue illis, quæ perueniunt vsque ad cavitatem thoracis vel ad neruos, vel ad prin-
cipem aliquam partem vtor decocto quodam, quod vocatur decoctum Iudæi ad fistulas,
quia Iudæus quidam Carpenfis fuit primus, qui tali medicamento est vsus, & ipso sanauit
à fistulis duces quosdam Ferrarientes, vnde ratio postea componendi medicamentum
40 remansit in aulis illis, & ego eius descriptionem accepi pro dono maximo ab excellētissimo
meo præceptore Brasauola. Medicamentum igitur seu decoctum fit hoc modo; *Rec. fol. mil-
lesfolij, marubij, artemisia, lapatij, caulium rubeorum, pimpinella, summitatum rubi, fragaria, matri-
caria, centaurij minoris, matrisylua, betonia, salua, rad. rubic. tinctorum cum folijs, rad. alibea, aristo-
logie rotunda, gariophylla, e, quam aliqui volūt esse genm antiquorum, ana M. ʒ. thuris masculi, sem-
plantaginis, anisorum, feeniculi, capparis ana vnc. ʒ. sarcocolle præparata vnc. j. croci, rhabarbari sele-
cti, rhopotici ana drach. ʒ. vini albi optimi lib. xv. bulliant simul ad consumptionem tertie partis, de-
inde coletur decoctum, cui adde mellis purissimi lib. xv. iterumq. simul bulliant; huius capiat æger
mane in aurora quatuor vel quinque vncias, prout ventriculus fert, idq. viginti vel viginti
50 quinque diebus ita continue; ita iuuat medicamentum hoc, vt viderim ego difficillimas fi-
stulas sanatas ex eius vsu.*

Secundum caput propositum erat, vt post totius corporis siccationem incumbere *Sanatio ul-
ceris.*
mus siccationi & sanationi vlcere. Sanatio autem potest tentari variis modis, dummo-
do sanabilis sit fistula: nam dixi aliquas esse insanabiles, quæ potius requirunt pallea-
tionem, vt isti dicunt. Sed si possit sanari, hæc est vera ratio & certa, vt primo ape-
riamus dilatemusque angustum vlcus: secundo vt auferamus callum: tertio vt expla-
mus cavitatem.

Pro primo dilatabant antiqui materia apta, & prima materia erat papyrus inuolu-
ta, compressa & fistula iniecta: macerabatur materia illa ab ichore & ita dilata-
bat. Dilatabant etiam penicillo impacto, hoc est, spongiolis mollissimis, quibus *Dilatatio
vlcera.*

antiqui utebantur etiam ad pingendum, unde penicilli dictæ sunt: penicillos igitur hos comprimabant & iniiciebant: nos caremus papyro, sed non spongiis, quibus cum recentioribus aliquando utimur. Sed notate, quod spongiolæ soleant admodum adhærere carni, ita ut non possint deinde extrahi sine sanguinis fluore: & ideo ut hoc in eodem modo remoueat, oportet spongiolas vestire aliqua mollissima tela & ita vestitas iniicere. Præparantur autem spongiolæ istæ dupliciter: primus modus est talis. capimus frustum spongiæ ita magnum ut videretur requiri, ipsumque comprimimus, deinde filo continuato obuoluimus & stringimus & ita inuolutam spongiam relinquimus per sex vel octo horas, postea ablato filo iniicimus. Alii secundo modo parant & quidem rectius: coquant spongiam in resina laticina, quæ vulgo dicitur terebinthina, & cum cocta est & dura, secant in frustra & iniiciunt, & opportunus certe est usus. Alii dilatant fistulas radice gentianæ siccata, vel radice cyclaminis siccata, vel radice bryoniæ nigrae sicca, & radice dragothæ, id est, dragunculi maioris siccata vel medulla sambuci: & ego etiam si materiam meliorem non habeam, utor aliqua dictorum. Sed hic est vna materia, qua nulla inueniri potest præstantior, & est medulla illius plantæ, quæ dicitur milium nigrum, & à Paulo milium indicum, vulgo vero sorgus vel meliea, & in Hetruria sagesa; medulla huius plantæ est laxa facileque comprimitur & est ita præstans, ut non reperiat præstantior: & ego aliquando ipsa sola dilatant ad tantam cavitatem vlcera ut visum sit miraculum. Verum hæc instrumenta, quibus dilatantur fistulæ, semper debent esse obliterata aliquo, quod habeat vim auferendi callum. Aliud postea maximi momenti in his instrumentis est notandum; quod aliquando fistula sit in parte aliqua, ubi sit magna & continua fluxio: unde si sanies collecta retineatur & non habeat liberum exitum, posset rodendo nocuum vlcus reddere & vix etiam retenta per vnam aut duas horas solet esse in causa fluxionis: & ideo in tali casu oportet in medio organi seu materiæ, quæ iniicitur ad dilatandum, collocare argenteam fistulam paruum ut per ipsam continuo effluat sanies.

Ablatio calli. Facta dilatatione auferendus est callus: potest autem auferri, vel medicamento vel ferro: medicamento quidem vel leniter erodente, vel acerrimo & pariter erodente: si callus sit tener & mollis, utamini leni medicamento erodente: si autem sit durus & antiquatus, selegatis robustum, pro callo molliori utor ego aliquando radice ellebori nigri, quam macero in aceto vel oxymelle, & hanc radicem ita maceratam iniicio, & eximit callum si magno dolore: verum sciatis, quod sit leue medicamentum. Aliquando utor præcipitato & alumine rochæ combusto simul mixtis: vos addatis emplastrum lîdis purum, non autem temperatum unguento rosato: addatis & unguentum ægyptiacum admixtum cum diapompholyge vel cum unguento rosaceo, vel etiam utimur puro. Poteritis etiam vii medicamento illo ex charta combusta: sed validissimum est arsenicum, & chalcanthum vustum, & troeisci de minio, sublimatum, oleum chalcæthi, quod dicitur oleum vitrioli & aqua ardens, quam vocant vulgo aqua da pattire, *Zu teutsch Eshendwasser*, hæc robustissima sunt.

Possumus autem his multis modis vi, & primo admiscenda ipsa cum aliquo humido, postea oblinimus materiam, quæ iniicitur. Secundo possumus sub forma arida in puluere, posito puluere in aliquam fistulam & per flatum iniecto. Tertio capimus medicamenta & miscemus cum aliquo succo vel etiam cum vino & clystere iniicimus. Quando vlcus & profundum & simplex, insufflamus medicamentum per fistulam. Quando autem fistula est duplex vel triplex, iniicimus clystere, ut ope illius liquoris medicamentum absumentes callum deducatur per omnes fistulas. Quando autem est simplex & non profunda fistula, utimur medicamento illinito supra materiam, quæ iniicitur imposito medicamento absumentes callum, imponendum est supra, ut dicit Celsus, aliquid, quod impediatur inflammationem: nam medicamentum absumentes callum, cum faciat dolorem, est in causa inflammationis, & ideo superimponenda est spongia madida posca, & cum siccat, est iterum imbuenda: vel loco poscæ utamini vino austero & aquoso & hoc modo procedetis, vique quo eliquatus & absumptus fuerit callus, vel facta fuerit crusta ex medicamento ut solet, & tunc incumbetis casui escharæ iniiciendo oleum amygdalarum dulcium, vel butyrum eliquatum, & subinde iniicietis succum apii, id est, olcoselini, ut detergatur vlcus. Cadente crusta veniendum est ad repletionem vlceris. Sed dixi, quod callus auferatur etiam ferro, ut docet Paulus *lib. 6. cap. 77.* & Celsus *lib. 7. cap. 4.* Sed mihi magis placet modus traditus à Guidone, qui vult, ut capiamus lignum tale ac tantum, ut ingredi possit fistulosum vlcus, & hoc ligno iniecto secemus nouacula fistulam super ligno. Celsus autem loco ligni utitur specillo, sed mihi magis placet lignum.

Sectio. Possumus etiam dilatare organo illo, quod vocatur syringotomum & est organum fistulosum

Syringotomum.

fistulosum, in quo latent gemini scalpelli, & hoc organo imposito comprimitur manubrium & exeunt gladioli, atque extrahendo organum secatur fistula, & hic vsus est optimus. Facta sectione auferendus est callus. Auferetur autem dupliciter secundum antiquos: vel vngue scilicet vel ferro; sed vnguis raro hoc potest fieri precipue ab iis, qui candore quodam exercent hanc artem, quia non gestant vngues leoninos, & ideo recurrendum est ad nouacula vel gladiolum. Sed aliqui vtuntur nouacula ignita, quod non placet, quia excruciat nimis ægrum, itaque extrahatur callus ferro frigido, & si quid calli remanet in fundo, vbi non potuit aptari medicamentum nec ferrum, Celsus dicit, illud, quod remansit, auferendum esse medicamento erodente, idem & Paulus confirmat.

- 10 Ablato callo deueniendū est ad tertium caput, vt carne expleatur vlcus (dicunt recentiores) applicando farcotica, deinde ea que cicatrice obducunt, ita & dicit Paulus. Sed Celsus aliter sentit, & ego sum cum ipso, vt veniamus ad agglutinationem, quæ opportune & citissime solet succedere, quoties ablati sunt calli: vidi enim ego vna nocte tantum agglutinam fuisse fistulam. Si autem tentetur sanatio per expletionem vlcis cum carne, longo tempore & difficile succedit, & saepe fit prius noua fistula, quam vlcus carne expletur. Et ideo dico, quod ablato callo tentanda sit agglutinatio, vt etiam Galenus faciebat, nam multas fistulas dicit se agglutinasse solo illo medicamento ex metallis; Ita & ego soleo facere, & vtor vel barbaro, vel sacro, vel illo medicamento ex metallis: barbaro quidem in mollibus habitibus, sacro in durioribus, & illo ex metallis in robustissimis & duobus vel
- 20 tribus dieb. ex vsu istorum vidi agglutinatas maximas fistulas. At per repletionem ex carne tarde admodum & difficile, vt dixi, sanantur. Nam fistulae sunt vlcera rotunda, quæ ægre & tarde replentur carne.

Dixi quod aliquot sint fistulae, quæ non sanentur, & ideo in his tentanda est palliatio, vt producat, quod fiet, si semper imponetis emplastrum lisdid, vel vnguentum quod dicitur absteriuum in officinis: Extrinsecus deinde, si adsit inflammatio, applicetis linteam oblitum vnguento magistrali dicto: si autem non adsit inflammatio, diapalma; Et hac palliatio vtamini à principio vsque ad finem.

De ambustis. C A P. X.

- 30 **M**orbum, quem Græci, vt Galenus *varius in locis*, Paulus *lib. 4. cap. 11.* Aetius *lib. 14. cap. 64.* & reliqui posteriores vocant *ambustum*, illum latini ambustum dixerunt, teste Plinio *lib. 20. cap. 6.* vocarunt etiam Latini combustum, teste eodem Plinio *lib. eod. cap. 8.* appellarunt itidem adustum, teste pariter Plinio & Celso *lib. 5. cap. 177.* vnde pericauton Græcorum, ambustum, combustum & adustum Latinorum idem & idem genus morbi sunt, qui morbus ab Auicenna *sen. 4. lib. 4. tract. 2. cap. 13.* vocatur combustio: nostri autem recentiores vocant cocturam: vnde cum apud Chirurgos recentiores videbitis caput inscriptum de cocturis, intelligatis semper de pericauto, vel de ambusto, vel de combusto, vel de adusto, vel de combustione Auicennæ, quæ voces omnes vnum & idem morbi genus nobis

- 40 explicant.
- Affectio autem ista est duum generum. altera in qua cutis & subiectæ illi partes videntur conuersæ velut in carbonem, talem contraxere crustam & escharam, & vocatur ab istis exustio in escharam: Et de hac non loquimur, quoniam non est vera coctura ambustiove. Altera est, in qua partes illæ cutaneæ quasi elixantur & suboriuntur vesicæ, & de hac nos loquimur, quoniam est verum pericauton Græcorum & ambustum Latinorum. de illa autem priori, in qua cutis vertitur veluti in carbonem, Græci non sunt sub hoc nomine locuti: loquimur ergo de vero pericauto, quod est vera coctura, in qua oboritur tantum vesica & cutis videtur elixari, & hanc cocturam veram hoc modo definiam. *Coctura est incendium alicuius partis cutaneæ ab extrinseca causa factum cum pustula vel vesica,*
- 50 *tui excoctio vna cum inflammatione accedit.* talis est natura veræ cocturæ. Incendium autem hoc non vno tantum fit modo, sed tribus, prout & tres sunt species partium, quibus corpus componitur. Nostis. n. corpus componi partibus solidis, humoribus eliquatis & spiritibus impotulatis. Et quemadmodum tria hæc genera partium sunt in corpore, ita quoque tribus modis patitur incendium: nam aliquando solidæ partes inflammantur & exuruntur ab ignito corpore vel ab igne, & fit crusta, eschara & veluti carbo, & hoc est vnum genus incendi, de quo nos non loquimur. Aliquando inflammantur humores, putrescunt & feruent ita, vt videatur bullire, & patiunt incendium tale vt videantur partes ipsas elixare, quod incendium accidit in læuis carbunculis: vidi enim ego saepe fetuos carbunculos, in quibus à feruentibus illis humoribus totum membrum erat corruptum

& veluti elixatum, non autem obductum eschara, & de hoc etiã incendio nos non loquimur. Tertium incendium est, quando spiritus soli inflammanatur & exurit: vt enim fumus, qui est exhalatio calida & sicca, ex lignis vel aliis corporibus elatus, dum inflammanatur, feruet & facit flammam, ita spiritus inflammanatur feruet & parit incendium: de hoc incendio nos loquimur, quod est ambustio in aliqua parte cutanea excitata à spiritu inflammanato & feruente, ad quem spiritum feruentem, sequitur summus dolor: nam spiritus inflammanatus latitat in meatibus cutis & partium subiectarum, & introducit maximum intemperiem præter naturam, quæ facit maximum dolorem, sicut etiam, quia spiritus ille inflammanatus in illis meatibus contentus soluit continuum. Secundo ad incendium succedunt vesicæ, quoniam spiritus ille inflammanatus liquefacit humores existentes in substantia cutis, quæ humiditates & ipsæ feruentes colliguntur inter cuticulam & corium, & quia cuticula dura satis est, & callosa, hinc fit, vt humiditates crassiores, cum non possent egredi, cleuent cuticulam in tumorem. Præterea propter solutionem continui & propter summum calorem introductum fit intolerabilis dolor, quo fit vt humiditates ex remotis partibus attrahantur ad dolentem, quæ humiditates attractæ vel sunt serosæ & tenues, vel crassæ & sanguineæ. Serosæ cum sunt, ad cutim faciunt vesicæ, nam ipsæ cito attrahuntur. Succedunt postea partes illæ sanguineæ crassiores, quæ sunt in causa inflammationis. Patet igitur iam causa proxima incendii & symptomatum, quæ in ipso sunt, vt doloris, vesicarum & inflammationis. Sed dices, non videtur, quod incendium fiat ratione affectuum spirituum, sed potius ex eo, quod affecti sint humores vel solidæ partes: nam tam magnum morbum fieri ex affectis spiritibus videtur im possibile. dico, quod causa affectus huius non sit inflammatio & ignitio alicuius partis quam spiritus, vt patet ex generatione ipsius morbi: nam morbus fit in instanti, videmus enim puerum cadentem super ignitos cineres vel aquam ardentem super manum ancillæ & vix pars contingit, quod afficiatur. Similiter si quis tangat ferrum ignitum vel metallum elixatum videmus morbum fieri in instanti & semper augeri. Omnes autem actiones & passionnes, quæ fiunt inter solida corpora, requirunt tempus, non autem fiunt in instanti, vt recte philosophi dicunt: Ergo cum morbus iste fiat in instanti, non possumus dicere, quod fiat ex inflammatione humorum vel partium solidarum, alioqui non fieret in instanti: nam partes istæ solidæ non possunt in instanti agere in aliam partem solidam scilicet in cutim, nec cutis potest in instanti ab ipsis pati: vnde ex modo generationis affectus colligo causam esse spiritus & non humores nec solidas partes: sed morbus postea non est spirituum, at solidarum partium. Quod autem spiritus possit inflammanari, nemo est qui dubitet. Secundo si obseruemus partem in qua excitata est incendiū, colligemus causam incendiū esse spiritum inflammanatum, non autem partes solidas: quoniam si quis tangat ferrum ignitum, vel quid simile, statim fit incendiū in ea parte quæ tacta est, ab ignito corpore, tamen si inspiciamus cutim illius partis in illo instanti temporis, apparet cutim ipsam nullo modo esse affectam, nam nec color nec aliud in ipsa immutatum est nec ob id est dicendum affectas esse partes intrinsecas, etiam si non appareat affecta cutis, quoniam cum corpus ignitum sit extrinsecum, necessarium est, vt si debeant affici internæ partes, prius afficiatur cutis, & ab ipsa postea successione communicetur affectio intrinsecis & sibi subiectis partibus. Cum itaque nec in cute, nec in subiectis partibus solidis sit affectio, necesse est dicere, quod affectum sit aliquid, quod in cute latitet. Ea autem, quæ sub cute latitant, sunt duo, humor atque spiritus: sed affectio non est in humore, quia continetur in venis, vel in spatiiis mediis, vnde si essent affecti humores, continuo emanarent e parte, in qua est incendiū: Ergo necesse est dicere, quod affectus sit spiritus. Cum itaque non possit esse nec corium nec humor, id quod inflammanatur, necessario est spiritus, quo meatus cutis toti sunt repleti: spiritus autem iste est duplex, vnus vaporosus, alter fuliginosus. Vaporosus est ille, qui in halitus disceditur, & aliquando in sudorem vertitur: fuliginosus autem est, qui aliquando abit in sordem, & est materia pilorum. Itaque spiritus est, qui ex contactu rei ignitæ inflammanatur & incendiū generat, vnde spiritus inflammanatus est proxima & immediata causa incendiū: inflammanatur autem spiritus ab extrinseca causa, quæ necessario debet esse ignita & feruere, alioqui non inflammanaret spiritum: Causa autem hæc externa feruens & bulliens est duplex, vna est in actu feruens & bulliens: altera in potentia. Dicamus primo de ea quæ est in potentia talis, spiritus sæpe inflammanatur per attritionem, vt quædo duo dura corpora simul atteruntur & fricantur, tunc fit vt spiritus exiens inter vtrumque durum corpus inflammanetur, vnde quando calcei atterunt calcaneos vel digitos pedum, vel manu vnguibuscumque fricamus partem aliquam & atterimus, solet excitari incendiū, ac si ab ignito corpore pars illa fuisset contacta, quod ego expertus sum in me ipso: nam tertio abhinc anno, cum

Proxima
causa incen-
diū & sympto-
matum.

Causa exter-
na & com-
buens.

effem circa lacū Cumensem excitabatur mihi pruritus maximus in superiori parte dextri pedis ratione sudoris. nam ambulaueram per illos montes & sudaueram. Itaq; fricabam nec poteram fricando pruritus satiare, vnde vocato seruo mandauit vt linteolo pedem mihi fricaret, ex qua attritione nulla sequebatur excoariatio, sed ita inflammabatur spiritus, vt pars illa superior exureretur & veticis obduceretur ac si igne fuisset cōtacta. Quare nō est dubitandū, duo corpora dura simul attrita esse in causa, vt inflammentur spiritus & fiat incendiū. Verū incendiū genitū ex spiritu inflamato ratione attritionis non vocatur pericautō ab antiquis, nec ambustum, sed proprie nominatur intertrigo, de qua Paulus *lib. 4. cap. 14.* & *lib. 1. cap. 11.* & Actius *lib. 14. cap. 67. & 12.* & ab ipsis aliquando vocatur apolirima, aliquando apotrima, aliquando paratrima. Et quamuis ego nō loquar de hac ambustione facta ex spiritu inflamato ratione extrinseci corporis potestate calidi, sed de illa, quæ fit ex inflammatione spiritus, qui spiritus inflamatus est ab extrinseci corpore actu calido & feruente, tamen eadem est curatio; Et ideo si tradam curationem istius, scietis etiam curare alteram speciem cocturæ. Inflammatur igni secundo spiritus a causa, quæ actu feruet & ignita est; & hæc est vel carbo accensus, vel flamma, vel cinis feruens, vel ferrum ignitum, vel alia metalla ignita & eliquata, vel puluis sclopetorū: sæpè enim accidit vt pueri vtentes hoc puluere exurant sibi partem aliquam, & aliquando quædam grana ipsius infiguntur in cute faciei & deturpant. Addatis vaporem ignitum, quo mihi aliquando exultæ sunt internæ partes manuum; nam cum haberem catinum aquæ frigidæ prope ignem, effundebatur illa aqua super cineres feruentes, & vapor ille ignitus accendebat mihi ad manus easq; exurebat. Addatis insuper oleū feruens, aquam, ceram eliquatam & similia. Et notate, quod quāuis Græci vocent pericauton, id est, ambustum, quando fit ab igne, tamen eodem etiam nomine vocant quando fit ab aqua, vel ex aliis extrinsecis causis, vt dicit Galenus *lib. 1. de comp. medic. per gen. cap. 4.* Talis est morbus, tot sunt causæ.

De signis autem non est vt dicam, quoniam ad sensum patet ambustio. Præfagium autem est vtique necessarium, quoniam ad ambustionem solent succedere incommoda graui. Primo ergo si incendiū sit alicuius momenti (nam si sit leue, non indiget Medico) prænuncietis semper difficultatem magnam, nam crescit motu inflammationis. Vnde licet opinio sit vulgaris, tamen est vera, quod combustio augeatur vsq; ad nonam diem; nam cum habeat motum inflammationis, & inflammationis primus terminus sit septima dies, secundus sit nonus & aliquando vndecimus, iure optimo dicitur, q̄ crescat per nouem dies. Cum ergo morbus augeatur & sit rebellis, prænuncietis, in omni incendio alicuius momenti curationem difficilem & longam. Secundo si exulta sit cutis in aliqua parte vbi adhæreat musculus subiectis aut cutis ipsa sit musculosa, vltra ea quæ dicta sunt prænuncietis aliquod impedimentum illorum musculorum: fieri enim non potest, vt patiente corio, non patiatur & muscoli illi adherentes, vnde si exuratur cutis in fronte, vel in labiis, vel circa collum, vel in volis manuum, solet cutis corrugari & contrahi & lædi musculorum motus, & sic deturpatur tota facies, quod est vnum, quod maxime, si quod aliud, exagitat mentem ægrotantū: semper enim sunt solliciti inquirentes, an remansurum sit vestigium: & vos in hoc estote cauti, vt nunquā dicatis, quod non sit remansurum aliquod, quoniam deciperemini, vt etiam decepti sunt antiqui. Nam Galenus & alii describunt nobis quædam medicamenta, quibus auferunt vestigia omnino auferri, quod tamen nos experimur esse falsum: Ideo estote cauti, si exultio sit in digitis, dubitatis semper de coherencia digitorū; nam ego vidi duos & tres digitos coheruisse ratione incendiū, & coactus sui secare & separare ipsos.

Viso quid ambustum, quæ ex causa fiat, quos habeat coniunctos affectus, quæ sint externa efficiencia talis morbi, quam difficultatem habeat ipsius curatio coniunctam, & quid sit præfagium & quasi diuinandum in quolibet ambusto, & quid soleat succedere ambusto male curato, deueniamus ad curationem, quæ respicit hæc omnia feruorem ingentem, dolorem intolerabilem, veticas, inflammationem & exulcerationis generationem; hæc omnia oportet vt habeat ante oculos tanquam scopos ille, qui vult recte curare ambusta, vt scilicet auferat magnum feruorem, mitiget dolorem, hæc enim vt plurimum præsentia sunt: impedit vesicarum obortū. Et si vesicæ iam factæ sint: & exulceratæ, vt ipsas auferat, & vt auferat inflammationem si adsit: pro his autē scopis assequendis multa sunt à scriptoribus medicamēta proposita, quæ inter se aduersaria sunt & contraria, & licet quidam videantur distinguere inter medicamenta ratione occasionis, ita vt dicant hæc esse hoc tempore applicanda, illa autem illo vel alio tempore, tamen indiscriminatum & confuse sine certa methodo proposita applicant ambusto, nunc fri-

Quatuor genera ambu-
storum.

gida nunc calefacientia medicamenta, non propositis sibi certis indicationibus, unde oportet, ut ego non solum doceam vos curationem ambustorum, sed etiam ut doceam, quomodo per rectas & certas indicationes sit curandum hoc vel illud ambustum. Ut autem hoc fiat oportet distinguere affectum, id est ambustum in multas partes, nam aliquando proponitur nobis curandum ambustum, in quo est feruor & dolor tantum maximus: aliquando ambustum habet coniunctum feruorem, dolorem & vesicas: tertium est cum ulcere & detecta pustula cum dolore & inflammatione; quarto aliquando est curandum ambustum cum ulcere tantum, sine dolore & sine inflammatione: hæc sunt quatuor genera ambustorum, quæ sicut inter se sunt distincta, ita etiam habent quatuor indicationes distinctas & quatuor genera medicamentorum distincta indicant; deueniamus ad primum.

Concidit puer super cineres calidos & feruentes, vel concidit aqua feruens super manum: vel plumbum eliquatum, vel aliud corpus extrinsecum continens in se vim ignis, accenduntur spiritus, sitque in parte feruor summus & statim excitatur dolor intolerabilis, quid agendum? Prima indicatio est, ut faciamus, ne succedant pustule, & ne augetur morbus, ut fuit sententia Galeni *lib. 1. de comp. med. per gener. cap. 4. & lib. 9. de simpl. med. fac. cap. de terris*; ubi inquit, quod eum solcant combustæ parti succedere vesicæ. Prima indicatio est, ut ipsarum generationem & augmentum morbi impediamus: hoc autem fiet, si satisfecerimus secundo indicato, quod est mitigatio doloris, nisi enim auferatur causa attrahens novos humores ad locum, non poterunt impediri pustule, quin suboriantur. Mitigabitur autem dolor, si explebitis tertium indicatum, & ipsi satisfeceritis, ut est ablatio feruoris. Igitur in ambusto, in quo nondum subortæ sunt vesicæ, impedienda est vesicarum generatio & augmentum morbi, mitigandus est intolerabilis dolor & auferendus feruor. Sed indicatio, quæ fuit ultimo inuenta, debet esse prima in executione, quam indicationem etiam Antiqui viderunt, & ideo in omni ambusto statim applicant ea, quæ actu & potentia frigida sunt, quæ possunt suffocare feruorem & flammam extinguere: unde non solum applicant refrigerantia, sed etiam habentia vim aliquam siccandi & repellendi, ut ratione frigiditatis extinguatur feruor; siccitas autem digerat aliquas humiditates eliquatas: & ratione facultatis repellentis impeditur fluxus alicuius materiæ, quæ iam inceperat ad locum fluere: Et ideo Galenus *lib. 1. de comp. medic. per gen. cap. 4.* statim imponit medicamentum diacalciteos vocatum, mixtum tamen optime cum aceto, imponit inquam actu frigidum & subinde immutat ipsum: admisceat autem acetum, ut medicamentum non solum sit frigidum actu, sed etiam potestate, & ut sit aliquam digere, acetum enim siccit & secundo digerit & potentia frigidum est, calcitis autem adstringit; unde medicamentum refrigerat actu & potentia, ideo extinguit feruorem, digerit aliquantulum & repellit, & ita repellendo impedit generationem crustæ. *lib. 9. de simpl. med. fac. cap. de terris*; imponit omne genus terræ, quæ sit leue & aliquam habeat concoctionem. Sicut enim aquarum aliquæ sunt leuioribus & magis concoctæ, aliæ grauioribus & crassiores; ita & terrarum aliquæ sunt leuioribus magisque concoctæ, aliæ ponderosiores & crudiore. Galenus autem imponit omnem terram quæ leuis sit & concoctæ, & præcipue cimoliam; vos poteritis capere terram argillosam eamque dissoluere posca vel aceto diluto, non autem acriori & actu frigido illinere locum, & ita extinguetur feruor, digeretur aliquantulum, repelletur & mitigabitur dolor, & sic non fiet pustula. *lib. 11. de simpl. med. fac. cap. de ouo*, Galenus actus hac eadem significatione applicat lanam imbutam albo oui vna cum luteo, quia refrigerat siccit aliquam & repellit; sed præstantius erit medicamentum, si admiscebitis parum acetum; nam albo oui siccatur statim & glutinosum est, & ideo impedit exhalationem. Paulus applicat folia lenticulæ, quæ etiam opportuna sunt. Auicenna affundit copiosam aquam solatri vel rosarum actu frigidum: vitur & bolo armena officinarum & camphora tanquam medicamento refrigerante: Ego quoque camphora vtur, & ei multum fido, sed non vtur tanquam medicamento frigido, sed calefaciente: credo enim ego camphoram calefacere, licet Auicenna oppositum sentiat. Proponit etiam Auicenna creatam, oleum rosarum, opium aliquando, hyoscyamum & alia quæ summe refrigerantia sunt; lutea ouorum, cerussam, calcem lotam, cadmiam lotam & similia, quæ refrigerant, reprimunt & aliquam digerunt. Et si aliud non adesset, monet Auicenna, ut affundamus super ambustum copiosam aquam fontanam, vel ex puteo actum frigidam. Recentiores & ipsi habent sua medicamenta, & quidem optima, inter quæ est terra sigillata dissoluta in aceto non acri, qua vtuntur oblinientes locum optimo cum successu. Vtuntur & vnguento populeonis, quod etiam optimum est: Similiter

Camphoram calefacere.

Similiter accipiunt succum rosarum vel plantaginis & admiscent oleum rosatum & continuo superaffundunt, donec cessauerit dolor & feruor. Aliqui, vt impediunt generationem vesicarum, accipiunt lutum illud, quod concreuit circa molas eorum qui exaccunt gladios & obliniunt ambustum optimo cum successo & certo: nam lutum illud constat partim substantia lapidea, partim substantia ferri, & præcipue stomomatis, hoc est scoria ferri, & ideo refrigerat, siccatur & repellit. Sed huic luto admiscunt etiam acetum, & quoties poteritis habere hoc lutum, & volueritis procedere per hanc indicationem, vtamini isto potius, quam alio medicamento, quoniam est omnium præstantissimum, & optime extinguit feruorem. vulgus imponit atramentum scriptorium, quod etiam optimum est, quia constat chalcantho, gummi & gallis: gummi & gallæ refrigerant & repellunt: chalcanthum autem maxime digerit, sed in vltimo atramenti non faciatis, vt vulgus, quod illinit semel tantum combustum locum; & nihil aliud facit: at vos continuo madefaciatis lintea in atramento & applicetis, donec cessauerit dolor, & quamuis hæc bene se habeant & satisfaciunt indicationi; tamen experientia inuenimus, quod impositis iis, quæ calidissima sunt, statim euocetur spiritus ille ignitus; & sedetur dolor inpediaturque generatio pustularum: & quamuis aditus feruor, qui indicet esse auferendum & per contraria, qualia sunt ea, quæ dicta sunt; tamen experientia docet, quæ calefacientia citius & melius faciât, & ego edoctus experientia & autoritate veterum, quamuis confusè & sine certa indicatione calefacientia medicamenta proponant, & pariter edoctus exemplo mechanicorum, qui dum vident in aliqua domo accensum ignem, tentant domum tueri, vel suffocando ignem trudendo tecta super ipsum, vel dando liberum exitum igni, aperiendo & remouendo tectum, hoc cum obseruarem & viderim methodum indicare, vt vel recto tramite extinguamus feruorem vel aperiendo cutim & dilatando exhibeamus ipsi exitum, & euocemus foras flammam, ne intus clausa magis inflammet; mihi semper magis placuit, vt procedamus per secundam indicationem, nimirum vt ex alto atrahamus & euocemus feruorem & ignitos illos spiritus, dummodo non speretis successuram esse facile extinctionem feruorem per applicationem refrigerantium. Verum si feruor sit summus, non est hoc sperandum, imo per vsum refrigerantium fit veluti antiperistasis intus & sic augetur feruor & dolor: nam coæruatur magis spiritus ignitus & magis accenditur, & ideo oportet vt distinguatis, an ambustio & feruor sit valde imprella, nec ne: Si non sit imprella, & leuis sit ambustio, poteritis vti frigefacientibus. Sed si magna sit ambustio, & imprella, aperiatis caminum, vt ita dicam, nimirum meatus cutis; & tentate euacuationem flammæ, & fugiatis vsum frigefacientium, quoniam non est tutus: contra autem vsum calefacientium & euocantium trahentiumque ex alto feruorem tutissimum est, celerrimum & certissimum. Hinc est, quod antiqui proposuerunt medicamenta calefacientia ad impediendam vesicarum generationem & tollendum feruorem, non tamen ex eorum indicatione, quoniam nullum reperio, qui huius indicationis meminerit, quæ est euacuatio ignitorum spirituum. Illa autem ex quibus poteritis parare vobis materiam medicamentorum euocantium & trahentium ex alto proponuntur varia ab antiquis, inter quæ est muria ex oliuis, id est aqua illa falsa, in qua maceratae sunt oliuæ, vt reddantur dulces: hanc aquam affundunt super ambustum, & optima est: nam siccatur & euocat spiritus illos feruentes; affundunt etiam lixiuum multum quod etiam sua nitrositate optime euocat. Et sciatis, quod vsum horum calefacientium & euocantium sit duplo vel quadruplo melior, quam vsum frigefacientium. Addunt aliqui fel taurinum, quo cum admiscunt parum aceti ad penetrationem: addunt etiam radices liliorum alborum, radices narcissi; nam siccant & ex alto trahunt, ita vt dicit Galenus hæc esse bona à principio vsque ad finem sanationis ambustorum. Auicenna addit æruginem, lythargyrium, quæ dissoluit cum vino & oleo & applicat & impedit generationem vesicarum, si quod aliud. Et sciatis, quod totum negotium in ambustis fit in prohibendo generationem vesicarum. Idem Auicenna proponit calcem non extinctam, quæ dicitur calx viua & commiscet cum cerato rosaceo & optimum etiam est, ego vsum sum & vtor aliquando his, quæ proposita sunt ab antiquis; sed habeo quædam familiaria & in frequenti vsum, inter quæ est mel crudum odoratum, cui admisceo parum vini potentissimi, vt maluatici, & hoc medicamento liquido & actu frigido oblinio lintea & impono, & optime impedit generationem pustularum, euocat feruorem & mitigat dolorem: si possum, admisceo etiam cum melle parum aquæ ardentis, quæ etiam aqua vitæ dicitur; sed accipio aquam illam mitiorem, qualis est illa, quæ

Secunda intentio per medicamenta calida.

Distinctio inter ambustia.

ab istis Chimistis vocatur aqua primæ & secundæ cocturæ, illam autem, quæ est testæ & quartæ cocturæ, fugio. Secundo loco vtor radice rāpi illius, scilicet communis quo vtmur in cibo, derado radicem & rasuram frigidam impono, vel contundo ipsam in mortario, & frigidum impono, & subinde immuto, sed melior est radix raphani derasa vel contusa in mortario, & imposita super ambustum locum & sæpe immutetur, & statim satisfacit, vt ego expertus sum. Optima est etiam radix bryoniæ albæ vel nigræ, si haberi potest, radix etiam cyclaminis. Vidi & expertus sum oleum petroleum, quod est genus naphthæ, nunc ruffi, nunc alterius coloris, & oritur copiosum tum in agro Parmensi tum Mutinensi, & in nostris illis partibus, vbi est copiosum, vidi rusticos illos, cum exuruntur, statim infundere partem exustam in illo oleo, & vidi successum præstantissimum, quare & vos poteritis oleo illo vti, vel mergendo partem in ipsum, vel affundendo super ambustum. Aliquando venio ad radicem scyllæ, quæ vel squilla dicitur ab istis, capio vnam cœpam scyllæ, seco per transversum & impono; & quamuis omnia hæc sim expertus, & felicissime res mihi successerit, tamen habeo duo familiaria, à quibus nunquam discedo, & sunt præstantiora reliquis: vna autem est dolorosum, alterum autem operatur sine dolore: dolorosum est admotio partis ambustæ ad ignem, ita tamen, vt non accendatur magis feruor, sed pars sentiat satis magnum calorem ignis, & hoc remedium sum ego millies in me ipso expertus, & semper restam bene successit vt sit mirum: debet autem pars teneri & seruari tanto tempore prope ignem quantum requiretur, vt si bis diceremus duos pater noster. Alterum, quo vtor familiarissime, est mite & est cœpa communis, quæ tam cito & ita certo agit, vt omnibus sit præferenda; seco ipsam per transversum & impono statim, & sua quadam humiditate non sinit inflammationem augeri, & euocat citissime & certissime ignitus spiritus, & inhihet generationem vesicæ præstantissime: siue autem cœpa imposita mutetur subinde, siue non, nihil refert. Quod si non habueritis cœpas, vtamini earum loco porris viridibus cum suis foliis contritis & impositis: sed non ita faciunt, vt cœpæ: hæc autem imponenda & seruanda in loco ambusto sunt, donec ex toto ablata fuerit flamma. Sed hoc est punctum, cognoscere scilicet quando ex toto ablata sit; tamen dico, quod duobus signis cognoscatur: primo quidem per dolorem quiescentem, quia ablata flammâ cessat dolor: sed accidit, vt quiescat dolor, & ego auferam cœpam, qua ablata reuertitur aliquando dolor, quia non omnes spiritus illi inflammati sunt euocati, sed aliqui relictî, qui impulsî ex frigiditate ambientis, iterum soluunt continuum & excitant dolorem. Cum itaque signum ex doloris remissione fit fallax, oportet vt recurratis ad aliud. Et est, quod si cum dolore quiescente & remisso videritis cuticulam exustam esse factam aliquantulum duram & siccata asperioremq; redditam, habeatis pro signo certissimo, flammam ex toto esse ablatam, & dolorem non amplius reuersurum: vapor enim & spiritus ille ignitus egrediens fuit illud, quod asperiore cuticulam reddidit. Cum autem cognoueritis ex his duobus signis, dolorem non esse amplius reuersurum, auferatis cœpam & non dubitatis, quod successura sit vesica: & nihil aliud faciatis: nam vel cuticula exusta caderet non remanente vestigio, vel non caderet adueniente humiditate aliqua, qua imbibatur.

Signa quod flamma ex toto sit ablata.

Si obortus fuerit vesica & morbus augetur, quid faciendum.

Itaque in ambustis potestis vti refrigerantibus & repellentibus; sed tutius est & certius deuenire ad calefacientia, quæ euocent feruorem, inter quæ duo obtinent principatum, ignis & cœpa communis: Sed non omnibus ambustis ad sunt Medici nec omnia auxilia, quæ statim in principio applicantur, faciunt, vt morbus non augeatur, & vt non oboriantur vesicæ, sed accidit vt oboriatur pustula, expleantur aqua & crescat morbus, cum quo coniugatur dolor satis insignis. Quando ergo aderunt vesicæ, & latitans vlcus aliquod sub ipsis, quid erit agendum, ne morbus fiat maior, & vt mitigetur dolor: dico quod debeatis obseruare, an cum vesicis adsit principium inflammationis, vel nullum adsit vestigium inflammationis; diuersa enim est curatio, quando adest inflammatio, & quando non adest. Sed esto quod cum vesicis sit feruor ingens, dolor maximus & inflammatio incipiens, quid erit agendum? Antiqui accipiunt indicationem, vt imponant ea, quæ refrigerant aliquantulum siccant & repellunt: nam datur indicatio extinguendi feruoris, firmandæ fluxionis, ne augeatur inflammatio & siccandæ humiditatis, quæ continetur in vesicis ipsis, vnde accipiunt calcem lotam, miscentque cum vitello ouorum & imponunt, vtuntur etiam succis supra dictis, posca & generibus illis cretarum omnibus, quibus admiscendum est oleum rosaceum ad mitigandum dolorem: & omnia hæc medicamenta extinguunt feruorem, repellunt

repellunt & leniter siccant; & omnia, quæ habent facultatem extinguendi feruorem, repellendi & leniter siccandi sine vlla mordicatione, sunt optima. Aetius loco *suprà dicto* meminit cuiusdam, quod mihi non placet, & est, quod in principio, quando videmus vesicam esse plenam aqua, non debeamus ipsam perforare, sed ita relinquere vsque ad finem, & tunc perforare: Ego autem dico, quod cum videritis vesicam magnam, debetis statim in principio perforare: Sed in perforando debetis obseruare, vt perforetur in ea parte, in qua possit fieri bonum emissarium, ita vt aqua possit libere se exire & facillime. Secundo cum foraueritis, nunquam comprimatis vesicam & vix perforetis, & sinatis, vt natura ipsa per se euacuet totam illam humiditatem. Itaque perforabitis his duobus semper obseruatis: Si autem non perforatur, videte, quid incommodi sequatur, primo aqua illa in vesica contenta erit impedimento, quo minus facultas siccans medicamenti applicati penetrat vsque ad corium. Secundo cum aqua illa ferueat, facit magis ad dolorem. Tertio augendo dolorem trahit & sic auget vesicam, cui etiam succedet magna exulceratio. Ideo ego in ambusto cum principio inflammationis & cum vesica vtor medicamenti dictis; sed foro vesicam statim in principio, & si semel aperta non statim educatur aqua, iterum foro; si enim permittitur, vt per se dirumpatur, sequitur magna exulceratio, & curatio postea est ita difficilis, vt est cuiuscunque alterius morbi & omnia, quæ applicantur, etiamsi sint mitissima, mordicant, & non potest æger quicquam perferre; & ideo totum vestrum studium debet esse, vt ^{vesicam esse perforandam contra inflammationem.}
^{Facienda linteola.}
 10 faciatis, ne vesica dirumpatur; nam curatio ambusti cum exulceratione magna est, vt dixi, difficillima. Monet aliud Aetius & quidem recte, & est, quod nec manu nec linteis sint tangendæ vesicæ: nam si casu exoriantur, ita proritantur, vt sit mirum & ideo omnia medicamenta sunt inducenda super vesicam cum penna. Dicit etiam Aetius, quod debeamus imponere linteola tenuissima imbuta medicamento. Ego autem dico, quod semper debeatis fugere linteola: nam si fugietis hæc videbitis, quod sine dolore & longe citius sanabitur locus: quia corium non potest quicquam impositum perferre, vel saltem si vultis linteola, sint tenuissima & rara, & relinquuntur in loco per integram diem & omnia medicamenta applicantur supra linteolum; cum enim sit rarum, facile penetrant. Verum aduertatis, quod linteolum debeat esse ex materia sericina non autem ^{Si non adhibetur feruor non dolor.}
 30 ex cotone, vt dicunt aliqui; quia nisi sit ex serico, cum debeat manere in loco, ita hæret aliquando, vt non possit auferri. Præterea si sit ex cotone & relinquatur vnam vel duas dies in loco, putrescit & excitatur magnus fetor; Et ideo linteolum debet esse ex materia non facile putrescibili, qualis est sericina. Sed melius erit, si vesica sit magna, superponere medicamenta cum penna, & quoties volueritis auferre linteolum maderatiis ipsum optime aliquo liquore, vt vel oleo vel posca, vel alio, ne simul cum linteolo auferatis etiam cuticulam. Hoc modo curabitis ambustum eum vesica & principio inflammationis.

Si autem non adfit vllum vestigium inflammationis, & nec dolor nec feruor, sed aqua tantum contineatur in vesica, vt amini medicamenti iis, quibus & Antiqui vtebantur, & videbitis optimum successum; materia autem horum medicamentorum proponitur à veteribus, vt ab Auicenna, Paulo, Aetio & aliis, sed indistincte admodum: nam alia proponuntur calida, alia frigida, quæ non omnia conueniunt in ambustis eum vesica, sed in ea tantum, in qua non est coniuncta inflammatio vna cum vesica, vt in hoc casu; Inter alia autem quæ proponuntur, est cinis quidam factus ex pannicillis imbutis melle & farina hordeacea; accipiebant pannos quosdam paruos, eos inuoluebant melle & farina hordeacea, exurebant & ex his capiebant cinerem, cui commiscebant oleum rosaceum & vinum & ponebant super vesicam: neque enim in hoc casu datur indicatio repellendi, sed siccandi cutim & humiditates illas; utebantur etiã misy, chalcantho, alumine, rhu obsoniorum, calce viua, fimo columbino exusto, rubrica sinopica & reliquis, quæ habent magnam vim siccandi, & hæc excipiebant oleo rosaceo vel vnguento ceratove, rosaceo vel oleo & vino simul, & magno cum successu his utebantur; vtor etiam ego chalcantho & camphora, qua nihil est præstantius, vt infra dicam. Auicenna *sen quart. lib. quart. tract. secundo capit. decimo quarto.* proponit vnum medicamentum magnæ compositionis præstantissimum, præsentibus vesicis, si quod aliud, ita vt ego vellem ipsum in officinis teneri paratum. Ipsi autem descriptionem vobis non explico, sed eam videre poteritis apud autorem ipsum, & certe optimum est medicamentum.

Ego habeo quædam peculiaria, quibus vtor, inter quæ est camphora, & cum ea admix-

seco lythargyrium & parum chalcanti; vt *Rec. camphora drach. j. lythargyri drach. ij. chalcanti scrup. j. dissoluantur in mortario & addatur vini austeri & olei rosati omphacini ana unc. j.* Misceantur & in mortario fiat medicamentum, quod optime discutit, dissoluit & repellit materiam hanc, & ita semper mihi feliciter res succedit. Verum animaduertatis, quod ipso vtar, quando vesica non est disrumpitur; Si enim corium esset detectum, non debetis hoc nec alius dictis vti. Soleo etiam maximo cum successu admiscere cum medicamento iam dicto succum plantaginis & solatri, vel aquas ex ipsis extractas; vtor quin etiam naphtha, scilicet oleo illo petroleo mixto cum aliquo adstringente & cum oleo myrtino vel succo plantaginis. Præterea cum in porris sit vis siccandi & astringendi, soleo vti oleo, in quo sint cocta porra: capio oleum rosaceum & myrtinum, & misceo, atque in iis coquo copiosum porrum tritum, addo etiam corticem intimum sambuci, illum scilicet qui immediate hæret ligno: Et si hunc corticem non habeam, capio eius loco sambuci folia: olea autem capiantur pari mensura & penna madesfacio vesicam, & si vultis medicamentum, quod diutius perduret in loco, admisceatis cum oleo parum cere albæ, & hoc oleo seu medicamento vtor ego aliquando vsque ad integram sanationem; hemorocallis etiam martagum vulgo dicta planta optima est; capio eius cœpam, coquo sub prunis, deinde misceo cum oleo rosato vel myrtino & facio medicamentum in mortario & hoc illinio locum, & optimum. Et si aqua non egrediatur, ego do ipsi continuo exitum.

Si autem vesica disrumpatur & exulceretur locus, quod vt plurimum fit; nam antequam puer educat manum excineribus, vel faber ex ferro, eximitur cuticula & separatur, tunc adest feruor & dolor intensus & inflammatio incipiens, & huiusmodi ambustio vocatur excoriatio, sicut illud primi generis dicitur inflammatio & secundum vesicatio. Si ergo sit ambustum cum exulceratione seu excoriatione, quid agendum? Dico, quod debeatis primo distinguere, an adsit inflammatio, & periculum sit de ipsa, & an cito sit aduentura nec ne; neque enim in omni ambusto cum exulceratione est inflammatio. Si ergo sit coniunctum ambustum cum inflammatione incipiente, habenda est primo ratio capitum vniuersalium, cuius rei nihil meminere antiqui, nullam enim habent rationem totius corporis, sicut nec ego in aliis generibus ambustorum, de quibus supra est actum, ar in hoc cum video cutim auferri & adesse ruborem & imminentem inflammationem semper habeo curam totius corporis: ita vt secem venam lenita primo aluo cum cassia, vel alio, quod attemperat feruorem: seco inquam venam in latere opposito aut in alio loco conferenti. Et hoc præceptum est oculatissimi nostri Guidonis, qui monet vt in magnis exustionibus cum exulceratione cum periculo inflammationis secemus venam; Ita quoque ego moneo vos, vt faciatis, deinde instituatis vltimus rationem refrigerantem, & exhibeatis quotidie porciones quasdam refrigerantes, vt aquam hordei, vel decocta & facta præparatione attemperetis etiam feruorem, & euacuetis cum exhibitione pharmaci; & non despiciatis quæso capita hæc vniuersalia; nam ego vidi obortam gangrenam ex huiusmodi ambustis.

Cum satis feceritis vniuersalibus capitibus, deueniatis ad locum affectum, in quo applicetis ea, quæ lenia & blanda sunt, vt voluit Hipp. lib. 3. de fractur. c. 16. vbi inquit leniter esse tractanda ambusta, & intelligit de ambustis cum exulceratione & inflammatione, vt patet ex Galeno inibi, cum dicit rationem, cur Hippocrates dicat, ambusta esse leniter tractanda, esse, quia acrium & calidorum humorum commixtione consistunt ambusta; Si ergo fluunt humores acres & feruentes, oportet vti lenibus; vnde Hippocrates applicat ceratum rosaceum; sed licet hoc lenis sit & conueniat, tamen & nos habemus mitia medicameta, & magis opportuna, quæ mitigant, impediunt inflammationem & fluxionem materiæ, quæ fluxio in ambustis est perpetua: vnde vulgo dici solet, quod ambusta crescant vsque ad nonam diem, & est verum: si enim fiat vesica, & iam incipiat fluxio, solet perdurare vsque ad terminum inflammationis, qui est septima vel nona, nisi Medicus inhibeat: nam si applicentur ea, quæ dicta sunt, nec etiam vsque ad tertium diem crescit morbus; Igitur applicanda sunt medicamenta lenia: sed quæ satisfaciunt fluxioni & exulcerationi: nam exulceratio eget siccatione, & ideo medicamenta debent repellere & leniter siccare sine vlla penitus mordicatione: Sint igitur refrigerantia repellentia & leniter siccantia sine mordicatione autem minima. Inter hæc autem primum locum tenet album oui, similiter & luteum; & hinc est, quod Galenus ita laudat hæc duo, intelligens quidem ad impediendum vesicæ exortum, sed præcipue intellexit esse optima in ambustis cum exulceratione, quia refrigerant, repellunt & siccant moderate sine vlla mordicatione: hæc igitur duo dissol-

uatis

uatis oleo rosaceo, vel cum lacte chalybeato, vt ego soleo facere, & addo etiam aliquando parum boli orientalis & applicetis & præstabit omnia, quæ dicta sunt, & mitigationem doloris. Antiqui accipiunt folia betarum, ea coquunt, contundunt & admixto oleo rosaceo imponunt optimo cum succellu. Ego actus autoritate Aetii & Pauli soleo accipere succum foliorum betarum viridium & misceo cum cerato rosaceo vel cum cerato myrtino, & superimpono, & super hoc impono folia betarum semicocta in aqua & optime satisfacit omnibus indicationibus. Aliquando vtor vnguento rosato Melues mixto cum succo betarum viridium & optimum est. Vltimo monet Aetius, vt accipiamus semen portulacæ & misceamus cum polenta & imponamus, & hoc etiam opportunum est medicamentum. Verum ego vtor frequentius succo betarum mixto cum oleo rosaceo Melues: cui etiam interdum admisceo lythargyrum, cerussam lotam & luteum oui, vel ex his tribus tantum facio medicamentum omisso vnguento, & si volo maiorem siccitatem, admisceo bolum orientalem, cerussam & succum betarum cum ipso vnguento rosaceo. His semper vtor, vel alternatis, vsque quo extinctus fuerit feruor & sanatus locus, & optime res mihi succedit.

Si autem adsit exulceratio vna cum inflammatione & opus sit deterfione & siccatione: nam semper in huiusmodi ambustis vlcera sunt manantia, ita, quod exulceratio semper effundat humorē: & ratio est quia adest fluxio cōtinua ad locū illū: in hoc igitur casu opus est medicamentis, quæ detergant, siccant & aliquantulum reprimant, sed sint priua
 20 ta omni mordicatione: vnde omnes cineres dicti supra sunt boni, dummodo sint loti; & ita bonus est cinis ex stercore columbi lotus, cinis ex hordeo lotus, calx nouies lota aqua communi, pompholyx præparata, cadmia officinarum lota & præparata. Omnia hæc bona sunt & laudata ab antiquis. Nos vtimur quibusdam, quæ habentur in officinis, inter quæ est vnguentum de calce, siccant enim moderate, detergit & repellit, sed ego commisceo cum illo portionem olei, in quo sunt cocti porri & cortex intusus sambuci, quoniam ratione istorum magis adstringit, vel admisceo portionem radicis martagi & succi betarum, vt pariter magis adstringat. In officinis est & aliud quod vocatur vnguentum diapompholygos, & est in hoc casu pretiosum, & si non detergit ita vt non videatur vobis esse, admisceatis minimam portionem aluminis, sed mini-
 30 ma sit portio, quoniam vnguentum per se est satis potens. Vltimo ego curo, vt in officinis paratur vnguentum, quod voco vnguentum de turia magistrale, cuius tradidi vobis alias descriptionem, & optimum in hoc casu est medicamentum. His itaque poteritis vti, vel tandem capiat crepasiliorum alborum, coquat sub prunis, & postea ponatis in mortarium, & addatis oleum rosaceum, vel parum ex his dictis vnguentis & faciatis in mortario medicamentum, quo vtimini, vsque quo vlcus obducatur cicatrice. Habetis iam absolutum sermonem de ambustis.

De rimis & callis pedum ac manuum gallicis.

CAPVT XL

40 **C** Allorum & rimarum in morbo gallico contingentium in volis manuum & vestigiis pedum curatio superest tradenda, & postea erit finis huius tractationis. De cephalæa autem gallica non loquar, quoniam curatur curato morbo ad quem consequitur per decoctum guaiaci. Marasmus vero non potest curari. Dicamus igitur de rimis seu callis, quod symptoma frequentissime accidit præcipue in iis, qui sunt habitus calidi & humidi, habentq; hep̄ar calidius & latas venas. Vlcus autē hoc incipit hoc modo: Oboritur vna vel plures pustulæ in palma manuum vel vestigio pedum, quæ pustulæ si tangantur, duræ sunt & coloris subrubri, ita vt videatur potius calli quidam subrubri, quam pustulæ: Cum perdurauerint hæc pustulæ octo vel decem dies, incipiunt discindi & rimo
 50 fa fieri, quæ rimæ sensim augentur & serpunt, donec tota vola sit obducta callosis his rimis.

Symptoma hoc est molestum, diuturnum, graue, & curatu difficile, si quod aliud: Vnde non videatur vobis mirum, si tradam triplicem vel quadruplicem ipsius curationem, vt si vna non cedat, alia possitis vti, & superare hoc graue symptoma, quod vocabimus lichen callosum vel vlcus callosum, vel rimas callosas, quod non refert.

Oriuntur autem rimosa hæc vlcera ex iisdem causis, quibus & alia vlcera: nam cum in hepate fiat exustio pituitæ genitæ in ventriculo & attractæ vel transmissæ ad epar & exuratur etiam bilis, miscentur isti humores & pituita fit crassa salsa & transmissa ad volas manuum & plantas pedum inibi putrescit & excitat has rimas: Et quamuis in principio soleant vlcera hæc fieri ex hac solum causa, tamen progressu

Quomodo rima oritur.

Rimarum causa.

temporis debilitatur adeo cutis illarum partium & corrumpitur ipsius habitus, vt male concoquat proprium alimentum: Igitur gignitur excrementum simile, quod etiam est in causa talium rimarum: & ideo qui laborant huiusmodi rimis, si bibant vinum tenue & potens, vel comedant aliquid, in quo sint aromata vel parum carpatum vel alii stercis inflammato hepate, cum turgeat materia dicta, transmittit ipsum ad volas & plantas & auget rimas adeo vt sit mirum, vel si sanata iam sint, reuiuiscunt citissime.

Curatio.

Curatio huius symptomatis difficillima est, vt dixi, ideo oportet incipere à communibus partibus: lenienda enim est aluus, secunda vena, preparandus vterque humor peccans, reiteranda euacuatio & alterandum epar. Pro alteratione eparis exhibendum est decoctum ligni, sed dilutissimum, quando adfunt istæ rimæ, non autem exhibeatis prægnans facultate illa ligni, nam multum obesset: sed in hoc casu præstantissimum est decoctum chinæ; quam cum non habeamus, mihi placet summopere (& magis quam decoctum ligni) falsæ parillæ decoctum; quod tamen & ipsum sit dilutum, ex cuius usu plures vidi sanatos ab remis, sanatos dico ex toto, ita vt non amplius redierint, non autem per aliquot dies: nam hoc facile fit, vt scilicet sanentur per aliquot dies, sed postea reuiuiscant: sed labor est sanare ex toto, vt non amplius redeant tales rimæ, ad hoc oportet vt sitis attenti, nam est difficile.

si parua sit ulceratio rimarum.

Post usum decocti ligni, vel falsæ deueniatis ad locum affectum, & si parua, recens & mitis fuerit exulceratio, facile superabitur hoc modo: primo mandate, vt æger maceret manus ac pedes exulceratos in decocto, quod describam: deinde siccantur pan-

Decoctum.

no & inungantur medicamento, quod etiam subiiciam. Decoctum autem est tale: *Recip. radicem albeæ foliorum maluarum, violariæ, lipatij ana M. ij. veruicis caput er. j. aquæ q. s. Misceantur omnia & coquantur ad capitis concoctionem integram, deinde coletur, & in hoc decocto bis in die, mane scilicet & vesperi maceret æger manus & pedes per horam, vel vnam cum dimidia, vel per duas: post macerationem siccantur pannò & inungantur timosa vlcera hoc medicamento: Recip. olei amygdalarum dulcium, olei rosati completi, ac-*

Unguentum.

gic porcinæ non salis an. vnc. j. cerusæ lotæ vnc. ½. cere albæ q. s. misce pro vnguento, quo illinantur rimæ, & hoc modo repetendo alternatim hæc duo saepe sanantur talia vlcera callosa, si recentia sint & mitia. Quod si leuis hæc medicatio non satisfacit veniatis

ad hanc: macerentur manus ac pedes in eodem decocto, vt dictum est & siccantur pan-

no, deinde alio pannò aspero fricentur rimosa vlcera tam diu, donec exierit multam sanguinis; postea capiatis aquam aluminis magistralem supra descriptam & madefaciat

is vlcera. Et hoc faciatis mane singulo & vesperi post macerationem & siccationem, vel etiam sufficere semel tantum in die, & hoc modo saepe superabitis callos duos vetustasque rimas sed non rebellissimas. Ideo si sint rebellissimæ, faciatis hoc modo; ma-

cereitis primo pedes ac manus in lixiuio communi, deinde accipiatis saponem nigrum, quo purgantur panni lanci, & si non mollis, emolliatis vos succo arantiorum vel limo-

num & vesperi, antequam æger eat dormitum, inungatis optime per vnam vel duas horas vlcera tali saponem, deinde appositis caligulis quibusdam lineis eat dormitum. Sic-

que stet tota nocte: Mane adueniente, macerentur optime manus ac pedes per dimidiam vel integram horam in lixiuio communi, quo abluti sunt panni, vt totus ille sa-

po detergatur: post macerationem siccantur artus medicamento, quod iam describam & hoc modo procedatis à principio vsque ad finem macerando artus lixiuio, mox obli-

niendo saponem & siccando, deinde inungendo vlcera medicamento, quod auferat malignitatem gallicam, roboret & sanat vlcera, quod medicamentum est hoc: *Recip. olei rosati completi, butyri recentis ana vnc. j. cerusæ lotæ drach. ij. terebinthina lotæ vnc.*

Unguentum ad rimas.

½. seui hircini drach. ij. sublimate optime molliti & cum succo limonum optime preparati drachm. ½. vel aliquando drachm. j. si vultis medicamentum robustius, misceantur omnia in mortario, li-

quesfactis liquefaciendis & fiat vnguentum, quo inungantur rimæ. Quod si nec huic ce-

Unguentum validius.

quenti vnguento validiore; Recip. ammoniaci preparati galbani ana drachm. j. ½. thuris, massicis, storacis sicæ, cerusæ ana drachm. ij. pinguedinum vrsi, taxi, suis, equi ana vnc. j. terebin-

thina, resina pini ana vnc. j. ½. olei rosati completi, olei chamomelini ana vnc. j. auri pigmenti drachm. j. ½. argenti vini cum succo limonum extincti vnc. j. liquentur eliquabilia & mandan-

tur, qua tundi possunt & simul misceantur in mortario; deinde addatur hydrargyron & pistilla diducantur optime simul & fiant pastilli, quibus inungantur vlcera, & optimum est

medicamentum: vel addatis ceræ quantum satis est, & simul mixtis coquantis, & vltimo addatis hydrargyron succo limonum extinctum faciatis ceratum & applicetis.

Aliquan-

Aliquando nec huic cedunt, sed sanantur per aliquot dies, deinde renouiscunt, & ideo ego coactus sum sepe deuenire ad suffitus, quibus vsus sum felicissimo cum successu, ita ut solis ipsis sanauerim multos à rebellissimis his vlcerebus. Suffitus autem sunt illi, quorum memini cum agerem de curatione morbi gallici per suffitus, vbi dicebam, q̄ suffitus sit duorū generum, vnum quidē benignū, quod proposui multiplex; aliud veneriatum, quo non audebam nec audeo adhuc vti per interiora scilicet vt attrahatur per nares & palatam; sed bene vtor in hoc casu ad superāda hæc vlcera. Et hic suffitus veneriatus, quo vtor, diuim etiam est generū: vnus sub forma pulueris, alter sub forma pastillorū: vsus autē vtriusq; est post illinitionem vlcerū cum sapone nigro, & post macerationem in lixiuio dicto: nam postquam hæc acta sunt, ego pono puluerem mediocri in quantitate & trociscos supra carbonēs accensos existentes in ollula & mando, vt æger teneat supra fumum manus ac pedes, & manus pedesque sint tecti triplicato vel quadruplicato lineo duro, vt artus sudent, & siccabuntur vlcera & crustæ, & per se tandem conciderit. Primus autem suffitus est huiusmodi: *Rec. cinnabaris seu cinnabarii dicti, auripigmenti, sandaracæ Græcorum, que ab iis vocatur arsenicum rubrum ana vnc. j. precipitati vnc. ʒ. ligni aloes, styracis siccæ, benzoini, myrrhæ, gummi iuniperini & thuris ana drach. ij.* hæc terantur, non in puluere tenuem, sed forma crassiori & misceantur, cuius pulueris crassioris ponitur modica portio supra carbonēs.

Altera cōpositio suffitus in forma trociscorū est talis: *Rec. cinnabarii, auripigmenti, sandaracæ Græcorū, precipitati ana vnc. j. argenti sublimati drach. ij. ladanii, thuris, masticeis, mirrhæ, benzoini, styracis siccæ, succini ana drach. iij.* misceantur ac terantur, & cum sufficienti quantitate storacis liquidæ formetur massa ex qua deinde fiant trocisci, qui siccantur & seruentur ad vsū. Aliquando ego vsus sum trociscis Andronis optimo cum successu; accipio enim trociscos Andronis & dissoluo cum vino granatorum vel defruto, id est, sapa vel syrupo myrtino vel melle rosaceo, vel succo solani vel plantaginis, sed libentius cum vino granatorum, dissoluo, inquam, ad mellis consistentiam, & hoc medicamento illino vlcera post vsū saponis nigri & macerationem artuum in lixiuio. Habetis iā curationem morbi gallici & eius symptomatum, in qua curatione nihil habeo, quod vobis non communicauerim.

30

Proxime sequentia pertinent ad tractatum de vulneribus, & præcipue ad vulnera capitis.

De vulneribus capitis. CAP. XII.

Quæ curationes difficiles admodum reddunt, hæc esse solent, nobilitas & præstantia partis, quæ læsionem vix perferre potest, substantiæ mollities; eiusdē substantiæ durities; frigiditas cum siccitate coniuncta; cōpositio ex contrariis partibus; aptitudo ad putredinem contrahendam; aptitudo ad inflammationem; cauitas recipiens retinensq; excrementa: hæc sunt, quæ vulnerum curationem difficillimam reddunt, præter magnitudinem & malignitatem vultus; nam si & hæc aderint, longe difficilior curatio erit. Et hæc omnia in capite sunt: nam in ipso est cerebrum, quod nobilissima pars est & facile putrescit, eius membranæ facile inflammantur, cōpositumque caput ipsam est ex partibus inter se contrariis: nam aliæ sunt durissimæ, aliæ mollissimæ, aliæ mediæ: Adiunt etiam in capite cauitates recipientes retinentesque excrementa: Et denique omnia in ipso sunt, quæ curationē difficilem reddunt. Et hinc est, quod omnes capitis affectus sunt curatu valde difficiles, ea propter maxima requiritur diligentia, non solum in Medicis ipsis curantibus, sed etiam in docentibus talium affectuum curationem, & in iis quoque, qui discunt; & propterea quemadmodum ego meis partibus non deerō, ita commonefacios vos, iuuenes optimi, velim, vt vestra diligentia & attentione deesse nolitis.

Et antequam deueniam ad varios capitis affectus, qui chirurgicam manum requirunt, explicabo naturam quarundam partium capitis, quæ ad curationem faciunt, non tamen reuocabo hic & repetam anatomen capitis, sed tantum declarabo aliquot ipsius partes, quæ conducunt ad curationem. Et primo caput constat cute, membrana os vestiente, osse, membranis duabus internis & cerebro. Et hæc partes cuiusque etiam ex vulgariis his chirurgis manifestæ sunt. Sed aliqua sunt circa has partes obseruāda, quæ non cuique patent, & nisi obseruentur, impossibile est reā curationem instituire. Primo itaque circa cutim hoc semper habendum est ante oculos, quod ipsa sit callosior & durior quacunque alia cute in quacunque parte fuerit, excepta cute, quæ est in volis manuum

Puluis pro suffitu.

Trocisci pro suffitu.

Trocisci Andronis.

Quænam curationes reddant difficiles.

Cur omnes capitis affectus sint curati difficiles.

Descriptio natura capitis. 1. Circa capitis cutis obseruanda.

& plantis pedum, & ex hoc, quod cutis capitis est valde callosa, colligatis, quod ipsa etiam sit valde sicca: valet enim consequentia, hoc est callosum: ergo est siccum: hoc est maxime callosum; ergo est maxime siccum: Et ex hac consequentia colligatis in omni affectu capitis, in quo cutis ipsa patitur, siccissimis medicamentis esse utendum.

Alterunt colligatis, & est, quod cutis capitis sit frigidior quacunque alia cute, & ratio est, quoniam habet pauciores & minores venas quacunque alia; & præterea semper referta est fuligine illa frigida & sicca, ex qua generantur capilli, qui ex Galeni sententia sunt frigidiores & sicciores omnibus aliis corporis partibus. Ex hoc autem quod cutis capitis sit frigidissima, habetis, fugienda in ipsius affectibus esse refrigerantia medicamenta, ne paucus ille calor, qui in ipsa est, aboleatur. Nostis enim in frigidis partibus videntur esse medicamentis calefacientibus.

Tertium observandum circa cutim capitis est, quod habet obtusum valde sensum, exceptis tamen quibusdam partibus ipsius, ut ea quæ est circa tempora & suturas: nam in illis partibus exquisitum habet sensum. Quod autem obtusum habeat sensum, probatur primo ex causa sensum efficiente: nam in cute pauci sunt disseminati nervi: secundo probatur ex consequentibus, quoniam videmus, quod ad evulsionem capillorum, ad contusionem & similia parvus excitetur dolor. Hoc stante, inferatis robusta medicamenta in ipsius cutis affectibus convenire calidissima & siccissima acriaque.

Quartum notandum circa cutim est, quod in ipsa est substantia veluti carnosa, imo cutis capitis est, veluti caro, sed callosa caro; & hæc caro distat ab alia carne, sicuti cutis capitis à cute aliarum partium.

Quinto observandum, quod habet quædam loca in quibus continentur musculi temporales ^{αποστέρι} à Græcis dicti, & sunt musculi illi tanti momenti quorum maxima est habenda ratio, quia sunt maximorum malorum maxime causa; nam si contundantur vel pungantur vel secentur, solet fieri delirium, febris, convulsio & mors etiam ipsa. Igitur eorum magnitudo est cognoscenda: cognoscetis autem facile, si mandaveritis ægro, ut trahat maxillam, & apposueritis digitos temporibus, nam quod sub digitis sentitur trahi ad tractionem maxillæ, temporalis musculus est. Vestuntur autem temporales illi musculi membrana, & est tunica illa, quæ facile conuellitur, excitat febrem, delirium & quandoque mortem. Sed unde hoc? Vesalius vir doctissimus inquit hoc fieri, quoniam membrana illa recipit nervos à secundo, tertio, quarto & quinto pari. Ego autem dico, quod solum nervi à tertio pari disseminentur per hanc membranam, & disseminentur quidem ita ut quasi in membranâ ipsam definant eamque efforment, & hinc accidunt, ut ex contusione vel punctione fiat convulsio, febris, delirium & sæpe mors.

Aliud est observandum ex Hippocrate *lib. de vulneribus capitis*; & est quod per totum ductum temporalium musculorum labantur (in superficie tamen superiori) duo vasa, venâ scilicet & arteria, quæ si pungantur aut vulnerentur, sunt in causa maximæ hæmorrhagiæ. Et ideo vasa hæc duo sunt optime cognoscenda, & disseminantur, ut dixi, supra superficiem extimam ipsorum musculorum. Sed addatis & duo alia vasa, venam scilicet & arteriam quæ disseminantur per internam horum musculorum superficiem, quæ puncta vel incisa fit maximus fluxus sanguinis.

Vulnera temporalium non esse dilatanda & cur.

His stantibus colligatis vulnera circa tempora non esse dilatanda, non pungenda, non amputandum aliquid, nec alio modo proritanda, sed blandissime ac diligentissime esse tractanda, aliter excitaretur maximus dolor, febris, delirium, inflammatio tantemque mors ipsa.

Membrana cranium vestiens.

Post cutim est membrana cranium vestiens, circa quam sunt etiam aliqua observanda propter curationem. Sed primo debetis scire, quod hæc membrana ab Arabibus proprie vocetur *Almocati*: dico *proprie*, nam communiter hæc vox apud ipsos significat omnem membranam: à Græcis autem appellatur *διεγκενιον*, unde & nos græcam vocem secuti vocabimus *pericranium*. Circa quod observandum primo est, quod habet sensum exquisitissimum: & ita, ut si qua membrana acute sentiat, hæc una sit. Et ex hoc colligatis non esse pungendam, non deradendam, si fieri possit, nec secandam.

1. Observandum.

Secundo colligatis, quod non suserat acria medicamenta, quoniam excitaretur magnus dolor & inflammatio. Sed unde habuit membrana hæc tam acutum sensum? dico quod habeat ratione duræ membranæ internæ cerebri: nam pericranium ortu ducit à dura illa meningi, quoniam est quoddam medium, quod incipit à dura membrana & ingreditur suturas; unde transiens per cranium gignit pericranium. Et ex hoc colligatis, quod affecto pericranio facile comunicetur affectio duræ membranæ, ita ut inflammetur, & tandem patiatur & cerebrum, & sequatur mors.

Pre-

Præterea obseruandum est, q̄ hæc membrana cum mēbrana sit necessario habet naturam aliarum membratarum; sed omnes membranz frigida sunt & sicca: Ergo & hæc frigida & sicca erit, sed adhuc frigidior aliis, tum quia hæret ossibus frigidissimis, tum quia abundat semper excremento fuliginoso frigido & sicco. Et hinc colligatis, quod nisi dolor aut inflammatio impediatur, semper in hac membrana vtendum esse medicamentis maxime siccantibus & maxime calefacientibus, non autem refrigerantibus, quoniam dissiparetur paucus ille calor, quem habet. Verum licet medicamenta debent esse valde siccantia & valde calefacientia, tamen non debent esse acria, quia excitaretur magnus dolor & inflammatio.

10 Post perieranium est os, circa quod primo obseruandū, quod constat pluribus parti- Cranium.
bus, quod factum est à natura, ne vna parte ipsius cranii fracta, frangantur & aliz phialæ vitreæ modo: & hic vnus est suturarum vsus. Sunt & alii ipsarum vsus, quos in præsentia omittam.

Aliud obseruandum est, videlicet, quod cranium habeat duas partes, quæ ita locantur, Cranii la-
mina.
vt vna sit interna, altera externa, quæ partes à recentioribus vocantur lamina, nec non vitrea; ita vt lamina interior & vitrea interior idem significant, partem scilicet cranii interiorem; lamina vero exterior & vitrea exterior significant partem exteriorem: quæ duæ laminae coniunguntur medio quodam laxo & spongioso, in quo medio corpore licet excavatum & spongiosum sit, tamen nihil medullosi habet, & tale medium ab Hippocrate appellatur caruncula: nam ad sunt compages cōcreti sanguinis, statimq; aperto osse sanguis concreuit, ita, vt videatur totum illud medium secatere carunculis; concreuit, dico, sanguis aperto osse in viuente animali, non autem in mortuo: nam si aperiretis cranium in medio duarum laminarum, non videretis carunculas. Per carunculas igitur Hippocrates intelligit medium illud corpus inter laminas, quod refert effigiem caruncularum & tale mediū à Græcis appellatur, DUAL id est; duplicatio, à nostris autem meditullium.

Aliud notandum est, quod per medium hoc spongiosum sint sparsæ plures venæ, inquit Hippocrates; addo ego quod & venæ & arteriæ plures sint per ipsum medium corpus spongiosum disseminatæ, quæ pulsant etiam & præcipue in tempo- Contradictio.
ribus: nam arteriæ à temporibus disseminantur per totum meditullium. Sed cogitandum est de quadam magna cōtradictione in dictis Hippocratis; nam in libro de carnibus, si Hippocratis liber ille est, dicit, quod per nullū os, exceptis maxillis, disseminatæ sint venæ pro illorū nutritione; in libro autem de vulneribus inquit, q̄ per mediū spongiosum cranei sint plures disseminatæ venæ. Contradictio difficillima est, ita vt nesciā, quomodo ipsam tollere possimus, nisi dicamus, quod liber ille de carnibus non sit legitimus, vel quod Hippocrates in ipso locutus sit ex mente Anatomicorum sui temporis: nam reuera per plura ossa sunt disseminatæ venæ nutriente ossa ipsa, vt patet etiam de ossibus vertebrarum. Ex obseruatione dicta, quod cranium habeat duas partes vel laminas & coniungantur per meditullium, inferatis, quod possit frangi vna lamina, altera illeſa manente, & quod si venæ per meditullium sparsæ frangantur, potest inibi corrumpi sanguis, C
gigni pus & communicari affectio membranis interioribus & cerebro.

Suture quoq; circa os sunt cognoscendæ, quoniam circa ipsas non est abradendum Sutura.
os, nec contundendū os supra ipsas, alioqui affectio & dolor cōmunicaretur duræ mēbranz. Cognoscetis autem futuras, si cutis detecta sit, ipsis oculis, quoniam circa futuras apparet ligamentum illud rubescens, ligamentum, inquam, ortum à dura membrana & transiens per futuras. Si autem cutis integræ sit, cognoscetis per appositam manū & deductionem ipsius cutis: nam circa futuras ossa sunt magis depressa, cutisque magis hæret, & percipitur asperitas & inæqualitas quedam ipsius ossis. Sed variant ne futuræ: dixi alias, cum agerem de ossibus, quod aboleantur ex temporis diuturnitate, non autem deperduntur ex defectu prominentiarum capitis: vidi ego multa capita: in quibus deperant prominentiæ, tamen nunquam vidi aliquam futuram abolitam. Hippocrates dicit, quod aboleantur, & Galenus confirmat, sed ego hoc non inuenio.

Vltimo circa cranium est obseruandum, quod non sit æque crassum in omnibus parti- Cranium nō
esse æque
crassum in
omnibus ar-
tibus.
tibus, sed in aliqua parte crassius, in aliqua minus crassum, & in aliqua durius, in aliqua mollius. Et primo incipiamus à parte cranii superiori anteriorique, id est, ab ossibus sincipitis. Dicit Hippocrates, quod ossa sincipitis sint infirmiora & vulnera in ipsis periculosiora, quam in alia parte, quia inibi os est laxius debilius, & magis recipit ictum & cerebrum magis patitur ex vulnere illato in sincipite, quam in aliqua cranii parte. Sed cur cerebrum magis ibi patiatur, quam alibi, ipse nō affert rationem, nec ego alias referre sciebam; nunc autem credo me eam inuenisse, & est, quoniam per futuram commu-

nicatur affectio facile ipsi cerebro: secundo quia cerebrum in sincipite est diuisum in duas partes, in sinistram scilicet & dextram, & diuisio peruenit vsque ad corpus illud album, quod dicitur callus vel callosum corpus cerebri. Itaque ex vulnere in sincipite patitur ligamentum transiens per suturam coronalem; ligamento autem patiente, communicatur affectio medio illi intersepienti & diuidenti cerebrum & tandem communicatur affectio & inflammatio ipsi corpori calloso. Hæc igitur est causa, cur cerebrum in sincipite magis patiat. Est porro in sincipite os tenuius, mollius & debilius, quia non est factum in generatione animalis: debetis namque scire, quod osium multa non fiunt in generatione integra, sed post generationem perficiuntur: quedam in generatione sunt cartilaginee, sed postea fiunt ossa: Quædam sunt ossa in generatione, verbi gratia, mediarum partes ossium crurium in generatione sunt ossa, sed eorum capita & appendices in generatione sunt cartilaginee, sed postea fiunt ossa. Cranium autem in generatione quidem est os, sed imperfectum; perficitur tamen post generationem: & hinc est, quod in puerilis percipitur fouea in sincipite, quæ fouea ab ipsis vocatur fontanella. Itaque obseruo ego, quod omnia ossa, quæ in generatione ossa sunt, durissima existunt, & hinc est quod ossa temporum & occipitis sunt durissima: ossa autem superiora frontis non ita, quia ossa illa frontis non sunt ossa in generatione. Idem dico de ossibus sincipitis, nam quod additur post generationem, non est ita durum, & hinc est, quod ossa sincipitis facile patiuntur & infirmissima sunt, inquit Hippocrates. Secundo loco infirma sunt, inquit, ossa temporum, non quidem, quia sunt mollia, imo durissima sunt, quoniam sunt facta ossa in generatione, sed sunt infirma eo, quod sunt tenuia & frangibilia. Medio autem modo se habent ossa superioris partis frontis, at ossa occipitis sunt robustissima.

Ossa temporum cur sint imbecillia.

Sed est dubitatio; nam Hippocrates *lib. de ulceribus* inquit, quod ossa verticis sint durissima, & tamen verticis ossa sunt ossa sincipitis, qua ratione igitur modo dicit, quod ossa sincipitis sint omnium infirmissima, modo quod durissima? dico quod per verticem Hippocrates non intelligat verticem in homine (nam vertex reuera in hominibus est in sincipite) sed intelligit verticem in brutis, præcipue iis, quæ prona incedunt, in quibus verum est, quod vertex est in occipite, & ita quando dicit, quod ossa verticis sint durissima, verum est in vertice brutorum, falsum autem in vertice humano: intelligit igitur de ossibus verticis brutorum. Cùm enim in maiori parte animalium vertex sit in occipite, ideo Hippocrates per verticem intellexit partem posteriorem, non autem superiorem, ut intelligunt Latini.

Ossa naturæ.

Aliud quoque circa os capitis est obseruandum, & est, quod os sua natura est frigidissimum & siccissimum & omni sensu expers; vnde ipso patiente, requiruntur medicamenta siccissima & robustissima, & licet acria fuerint, non est timendum, itaque quando tibi res est cum osse, vtamini audacter siccissimis robustissimisque medicamentis, & si fuerint acria, non ob id timeatis, quemadmodum non est timendum, si fuerint ignea, quia os nullum habet sensum, nullamque facultatem, quæ dolorem facere possit.

Dura mater cur continuo pulsât.

Succedunt iam membranæ cerebrum inuoluentes, vna exterior quæ vocatur dura meninx, & dura mater: altera interior, mollis meninx & pia mater dicta, dicamus prius de tunica exteriori; hæc est neruosa, duraque & pulsât continuo, quemadmodum & arteriæ. Pulsât autem duplici ratione: primo quia in partibus superioribus habet tres sinus, & plures etiam alios in partibus inferioribus, qui ignoti fuerunt omnibus anatomicis, & iam in anatome ostendi vobis hos sinus, qui continent in se sanguinem spirituosum transfusum ab arteriis: continent & facultatem demandatam sibi à corde, & hæc est vna causa, cur hæc tunica pulsât continuo. Altera est, quia in partibus capitis lateralibus circa tempora disseminantur duæ arteriæ, vna scilicet in dextro latere, altera in sinistro, disseminantur inquam per substantiam ipsius membranæ: vnde cum arteriæ pulsant, necessario & membrana pulsât. Hæc igitur sunt duæ causæ, cur dura meninx continuo pulsât.

Alia notandum.

Aliud notandum circa hæc tunicam est, quod si vasa in ipsa consistentia dirumpantur, vel soluantur sinus, succedit maxima fluxio sanguinis, ita vt difficillimum sit sanguinem sistere ita copiosus & impetuose erumpit. Et causa etiam cur difficillime supprimatur, est continuus ipsius membranæ motus. Videte iam quid cognitio naturæ partis faciat in curatione.

5. Notandum.

Aliud circa eandem hanc tunicam notandum est, quod ipsa habet exquisitissimum sensum.

fenſum, idcirco non eſt pungenda, non contundenda, multo minus amputanda, ſed omnia agenda ſunt, quo minus tangatur & lædatur. Præterea licet ſua natura frigida & ſicca ſit, & ratione huius ſuæ naturæ requiratur exiccantia, tamen propter ſenſum, quo prædita eſt, exquiſiſſimum, reſpuit proſus ea, quæ acria ſunt: & ideo ſi volueritis in iſtis affectibus utriusque, oportet ut obtundantur: & ideo acria per ſe non conueniunt; ſed refracta, alioqui excitatur dolor, & facile fit inflammatio, quoniam a deſt materia parata in ſinibus iſtis.

10 Inſuper notandum circa hanc membranam, quod ab ipſa oriuntur plura vaſa, ut venæ & ipſorum diſſeminantur per mollem meningem, & alia per cranium ipſum, ex quo ſuccedit, inquit Celfus *lib. 8. cap. 4.* ut per contuſionem agitationemque diſſumpantur hæc vel illa vaſa, & ſic ſanguis in illis membranis grumefcat & ſequatur mors. Diſſumpuntur autem vaſa illa interna vel externa, id eſt, quæ per os diſſeminantur, quando aut propter contuſionem, aut propter agitationem aliquam dura mater ſeparatur & diuellitur vel ab oſſe vel a cerebro. Et ideo diligentiffime obſeruandum & conſiderandum eſt an contuſio poterit diuellere membranam & diſſumere vaſa nec ne.

Succedit iam membrana mollis, quæ dicitur & pia mater, quæ neruoſa eſt, & ſentit *Pia mater.* optime, & circa ipſam eadem fere ſunt obſeruanda, quæ dicta ſunt de dura meningem: Ideo de ipſa nihil proferam, quia ſufficiunt, quæ de altera in medium prolata ſunt.

20 Sub pia matre eſt cerebri ſubſtantia, quod membrum frigidiffimum natura eſt & humidum: & ideo primo indicat circa ipſum requiri omnia lenia & mediocria: vnde quæ maxime ſiccant; vel maxime calefaciunt, vel frigeſciunt, mala omnia ſunt, ſed deſiderat omnia mediocria: & ideo nunquam placuit mihi uſus illorum ſumme calefacientium; ſed mediocrium omnium, quia mediocria leniunt dolorem tunicarum. *Cerebri ſubſtantia frigidiffima & humida.*

Præterea notandum eſt circa cerebrum, quod ipſum ſit molliſſimum; ea propter molliter & blande admodum eſt tractandum.

Aliud obſeruandum eſt, quod cerebrum ſit ſedes animæ ſenſitiuæ & rationalis, idcirco maxima eius eſt habenda ratio.

30 Obſeruandæ pariter ſunt ipſius cerebri partes, & cuiusque partis ſubſtantia; nam aliqua pars cerebri eſt dura, & eſt cerebellum vocatum, quod non requirit tantam diligentiam: ſed cerebri pars anterior, id eſt, cerebrum ipſum proprie dictum, requirit diligentiam molliſſimamque maximam.

Item obſeruandum, quod affectus partis cerebri ſuperioris non ſint ita periculofii, ut affectus baſis cerebri: nam cum baſis affecta eſt, pronunciate mortem citam; vel ſi non ita citam, ſaltem indubitam & breui tempore ſuperuenturam.

Obſeruandæ quoque ſunt partes intimæ: ſi enim vulnus perueniat uſque ad callum cerebri, vix poteſt æger euadere: Contra ſi pars externa ſit vulnerata, non tam magnum imminet periculum.

40 Obſeruanda præterea ſunt principia neruorum, quæ à cerebro deueniunt ad oculos, quæ ad aures & quæ ad omnes alias partes.

Obſeruanda quin etiam ſunt principia vaſorum, quæ diſſeminantur per cerebrum, ut poſſis cognoscere quando imminet periculum & quando non, & quod nam ſit & quale periculum illud, quod imminet.

Sed deueniamus iam ad affectus, quos caput pati ſolet, & non intelligo de omnibus affectibus; neque enim de inflammatione, nec de intemperie, nec de tumore præternaturam & ſimilibus; ſed ſolum de illis, qui ſiunt ab aliquo extrinſeco corpore vel ſecante, vel pungente, vel contudente: Igitur intelligo de vulneribus, contuſionibus & ſimilibus. Solet itaque pati caput vel circa cutim, vel circa perioſtium & os vel circa membranas internas, vel circa cerebri ſubſtantiam. Sed primo dicamus de affectibus, quos ſolet pati corium, quorum primum eſt vulnus ſimplex, alter contuſio ſeu illuſio, tertius punctura, quartus excoriatio, quintus & vltimus comminutio ſeu amputatio alicuius portionis & ſubſtantie ipſius cutis: Hi ſunt affectus, qui circa cutim capitis ſolent accidere & ſimplices ſunt. Addatis vos & compositos; nam iſti quinque affectus poſſunt variis modis complicari ita; ut vulnus ſit aliquando cum contuſione, vel cum excoriatione & huiusmodi. Et quod dico de vulnere, intelligendum eſt etiam de aliis affectibus, quos cutis patitur. *Affectus, quos ſolet pati capitis cutis.*

Os autem capitis tres patitur affectus teſte Galeno *lib. 6. meth. med. circa finem*; & primus eſt *ſcandalo*, id eſt, colluſio vel contuſio: quod autem oſſa contundantur, etſi ſint duriora. *Affectus capitis oſſis.*

rissima, nō est dubitandū, & est species solutionis cōtinui magni momenti. Secundus est sedes teli relicta, id est, rima, in qua vna pars ossis separatur aliquantulū ab altera. Tertius est fractura, in qua vna pars ossis prorsus separatur ab altera; at in rima solū ossa dehiscunt ita vt in ossē relinquatur vestigiū teli. His addatis & quartum, & est comminutio vel amputatio alicuius partis & necessārio hic affectus est addendus, quoniam non potest reduci ad aliquem trium dictorum: nam cum squamma aliqua auferatur, aut aliqua portio amputatur, non potest dici contusio vel illisio, non rima nec fractura: & ita os capitis quatuor patitur affectus simplicēs, quos poteritis ex sententia Hippocratis & Galeni variis modis componere. Recentiores & ipsi ponunt varios affectus in ossē, sed omnem occasionem distinguendi & enumerandi affectus accipiunt ab instrumento extrinseco, quod vel fecat, vel pungit, vel contundit. Sed vera est diuisio Galeni, cui nihil aliud addi potest, quam comminutio: & mala est diuisio recentiorum, quoniam non accipitur à forma affectus. Quatuor ergo sunt affectus, quos patitur os, & nullus reperiri potest, qui fiat ab extrinseco corpore, & non sit aliquis horum quatuor.

*Affectus tuni-
catorum in-
ternarum.*

Internæ autem tuniçæ patiuntur primo collisionem seu contusionem; secundo vulnus; tertio lacerationem, quarto comminutionem, quinto punctiōnem, & quandoq; anastomofin, quando scilicet vasa dilacerantur & dirumpuntur, & fit fluxio sanguinis & sanguis ille retinetur in ipsis tunicis.

Sed notate vnum maximi momenti, quod est, quod aliquando omnes istæ partes patiuntur, vt quando infligitur magnum vulnus, nam tunc patitur cutis, os & membrana: aliquando; atitur externæ tantū, vt solū corium: aliquando dūtaxat internæ, & externæ nihil, vt solet accidere in contusione, vt patiuntur membranæ internæ & lacerentur vasa, vnde statim fit stupor & succedit mors. Et vidi ego multos mortuos, in quibus cutis nihil erat affecta, sed affectus erat solum in partibus intrinsecis: & de hoc non oportet, vt petamus exempla à locis remotis, nam habuimus anno elapso exemplum in hac urbe in iuvene quodam Romano, qui cum spectaret ludentes magna pila, & vellet aduenientem pilam euitare, concidit in caput, & statim factus est stupor, redditusq; mutus, & inde post quatuor dies moriebatur. Itaque non est dubitandum, quod aliquando patiuntur partes internæ illæ sicut externis. Aliquando patiuntur mediæ tantum, vt tantum os. Et hoc solet præcipue accidere pueris; nam sæpe ex casu deprimatur os; & ego plures sanauimus, quibus compressum erat os, vbi nihil patiebatur cutis vel membranæ. Itaque hoc quoque est vobis obseruandum, quod aliquando patiuntur externæ partes tantum: aliquando internæ tantum, aliquando solum mediæ, aliquando omnes simul. Sed dicamus primo de vulnere externarum duntaxat, vt pote corii.

De simplici capitis vulnere, id est, solius cutis.

CAPVT XIII.

N Vllum est capitis vulnus, quod non habeat periculum aduicium, etiamsi vulnus sit leuissimum, inquit Hippocrates; & ideo oportet Medicū esse diligentem. Incipiamus igitur iā a vulnere capitis leuissimo, scilicet a vulnere simplicissimo ipsius corii cutisve, in qua sola cutis sc̄cta sit, integro existente pericranio, ita vt os adhuc tectū sit. In hoc itaq; vulnere curando, primum oportet abradere caput & auferre omnes illos pilos, secundo oportet fluentem sanguinem sistere vel cum posca, vel vino austero vel albo oui: tertio consuenda sunt labra, quibus confutis & vnitis oportet applicare aliquod medicamentum, quod faciat ad agglutinationem; nam agglutinatio est primus scopus propositus in hoc vulnere.

Num sit consuenda cutis.

Sed statim obiiciet mihi aliquis, multos istorum, qui praxin exercent, non consuere capitis vulnera, & si ab ipsis petatur, quare non consuunt, dicere quia cutis capitis non coalescat, & rationem esse, quoniam sit callosa: ea autem quæ callosa sunt, non possunt conglutinari, & ideo partem cutis non possunt cum altera parte cutis coalescere. Secundo dicunt, non esse consuenda, quoniam si casu colligeretur sanies sub futura, cum non posset egredi, afficeret pericranium, os & internas membranas. Tertio dicunt, non posse consui quia tutius sit vulnus apertū relinquere & cōcoquere, & tandē cicatrice obducere. Vltimo instant non esse consuenda; quoniam si opus sit conglutinatione, ipsam consequi nos possunt per fascias & deligationes absque quo consuamus. Vnde factum est, vt si vulnus sit in parte aliqua laterali capitis, vt vel in occipitio, vel circa frontem, vel in alia simili parte, & vulnus sit longum, factum (inquam) est, vt chirurgi, qui videntur esse doctiores & exercitiores, consuunt ipsum in parte tantum superiori, in parte autem inferiori nō; sed in inferiori iniiciunt linamentum, vt ad sit spiraculum, per quod egredi possit sanies.

Verum

Verum omnes ii male faciunt, quoniam protrahunt morbum, & non seruant veram methodum, quæ est, vt vulnus agglutinetur : & falsum est, quod dicunt, vulnera capitis posse vni & agglutinari per deligationes : nam si vulnus sit in parte aliqua capitis superiori, certum est, quod deligationibus non possimus labra vni & conglutinare: si etiam sit in parte aliqua laterali, labra non possunt coniungi ; nam opus esset facere deligationes admodum arctas, quæ non conueniunt in capite, sicut in hoc vel illo artu. Quare nos exemplo Galeni deueniamus ad confutionem & ita non discedemus etiam à scopo & vera methodo curandi; Exemplum autem Galeni est in lib. 2. de compos. medic. per hoc. cap. 2. & 3. vbi vulnera simplicissima capitis cõsunt. Falsum postea est illud, quod labra vulneris in cute capitis non conglutinentur, & falsitas patet quotidie experientia. Ego enim vidi multa vulnera capitis fuisse conglutinata, & inter cætera exempla memini, quod cum essem Pisis, puer, filius cuiusdam docti Medici, cum ascenderet cumulum lapidum, ex prolapsu lapidis sub pedibus concidit in caput supra alium lapidem angulosum, ex quo fere tota cutis in ea capitis parte ipsi secabatur, statimq; oriebatur lis inter Medicos & Chirugos, vtrum vulnus illud esset cõsuetudum : nec deerant, qui dicebant, quod non, quia cutis capitis cum cute non conglutinetur : tamen ego consui magnam illam partem cutis, quæ separata erat & optime conglutinabatur; habeo & alia multa exempla, quæ breuitatis causa omitto. Itaq; pro confesso habeatis, quod cutis etiam capitis conglutinetur, vt experientia docet & ratio etiam dicat : nam cutis capitis habet suam carnem, habet quin etiam venas, ex quarum sanguine potest caro & medium conglutinans labra gigni.

Ad illud autem de pure dico, quod ad conglutinationem non sequatur generatio saniei, quoniam medicamenta conglutinantia cum siccant, non sicut sanie gigni. Cum igitur sanies non generetur in curatione vulneris per primam intentionem, non egemus emissario orificioq; in inferiori parte vulneris: ideo semper integre cõsuetis vulnera cutis capitis simplicia, moti exemplo tum Galeni tum aliquorum Arabum. Nam ex Arabibus etiam aliqui sunt, qui vsq; adeo affectant futuram in vulneribus capitis, vt etiam in illis, quibus fractum est os, & detectæ membranæ interne, præcipiant, labra esse cõsuetis, vt videre est apud Rhafes in 5. continentis, vbi refert hoc de quodam Medico Arabico antiquo. Serapio quoq; & Auicenna mandant, vt cõsuamus vulnera cutis, quare & vos audacter cõsuetis.

Facta confusione Arabes antiquiores statim inungunt partes circumpositas futuræ, non autem inungunt vulnus ipsum, ne oleum illabatur in vulnus; inungunt, inquam, oleo rosaceo, omphacino, deinde superinspergunt puluerem alicuius medicamenti, quod habeat vim siccandi & glutinandi, & quoniam cutis capitis est sicciore cure aliarum partium, ideo Arabes inspergunt pulueres validissimos. Et primo Serapio conficit puluerem hoc modo: *Assumit aloem & sarcocollam equali pondere, & addit thuris, corticis thuris & thuris mamme ana drach. ij. postea adiungit sanguinis draconis vnc. j. factoque puluere inspergit ipsum supra totum vulnus & futuram, & est validum medicamentum;* tamen si æger esset valde robustus, esset debile; & ideo in rusticis, fabris & reliquis robustissimis confugiendum est ad medicamentum Albucasis, quod conficit ex validis admodum medicamentis cum proprio sanguine egri ex vulnere fluente, quod certe rusticum est; & ideo ratione tum robustæ facultatis, tum modi conficiendi conuenit in robustis, non autem in nobilibus & mollioribus: Medicamentum autem est tale: *Recipit calcem vitæ, thuris & sanguinem draconis & facto puluere admiscet cum sanguine proprio patientis facitq; emplastrum,* quod futuræ applicat: mox supra futuram imponendum est linamentum. Habetis & aliud validum medicamentum apud Rhafes, non tamen est ita validum, vt illud Albucasis, & conficitur hoc modo: *Rec. aloes, chalcantibi, camphoræ, sanguinis draconis, balsamiorum ana quantum volueris, & misce & fiat puluis,* quem insperges supra vulnus cõsuetum. Si alia medicamenta volueritis, recurritis ad locum illum, vbi supra proposuimus multa medicamenta conglutinantia, quæ etiam per gradus disposuimus; & ita habebitis accommodata pro teneris habitibus, pro mediocribus & pro robustissimis.

At si portio aliqua cutis sit amputata, ita, vt non possit fieri confusio, quid agendum? dicunt recentiores, quod debeamus vt medicamento aliquo, quod leniter detergat, cuiusmodi aiunt esse mel rosaceum simul cum oleo rosaceo.

Sed recentiores illi errant, quoniam medicamentum hoc ratione olei est malum, & ratio est, quia oleum laxat partes illas, & est in causa, vt generetur tarde caro, & illa quidem ita mollis, vt ægre postea vulnus cõsolidetur. Et hac de causa Hippocrates monet in vulneribus fugienda esse omnia vinctuosa. Vnde miror certe de maximo illo abusu & errore,

Responsio ad obiecta.

Puluis Serapionis.

Medicamentum Albucasis.

Medicamentum Rhafis.

Si portio cutis sit amputata.

qui est in multis ciuitatibus & prouinciis etiam integris, quod medentur vulneribus eâ-
pitis solo oleo rosaceo; pessimum mehercle medicamentum est, quia laxat partes & efficit
vt caro tarde generetur, & illa, quæ generatur, mollis admodum est & impediens conso-
lidationem. Malum est & illud medicamentum, quod conficitur ex oleo rosato & tere-
binthina, malum, inquam, est ratione olei. Quare vtamini vos quæ moderate siccant,
habeantq; vim aliquam abstergendi, cuiusmodi est medicamentum confectum ex tere-
binthina & luteo oui: vnguentum de matrifylua, vnguentum de betonica dissolutum:
& in teneris conuenit etiam vnguentum basiliconis. Sed superius habuistis multa alia
medicamenta sarcotica per gradus disposita; recurratis igitur ad illum locum.

Vetum obseruandum est, quod vulnera capitis generent carnem maxime humidam, 10
& mollem, etiam si vtamini siccantibus; ac ideo coercenda & reprimenda est mollities il-
la carnis supererescētis: quæ autem sint medicamenta, quæ id præstent, superius habuistis.
Superata carne supererescente & eius mollitie, si opus fuerit, obducetis vulnus cicatrice.

Cæterum accidit sæpe, vt in vulneribus capitis separetur pars magna cutis, non tamen
amputetur prorsus, sed parua admodum ipsius portio hæreat; quid igitur, si hoc accidat,
est agendum? Aliqui recentiorum statim illam cutim amputant, & ita dicunt semper
esse agendum, cum hoc accidit, quoniam cutis illa non possit cum pericranio congluti-
nari, & ratio, inquit, est, & quia cutis & pericranium callosum est. Aliqui nõ amputant, sed
statim reducunt cutim illam pendentem supra vulnus & locum proprium: & hoc faci- 20
unt, siue sperent, quod cutis illa sit cum pericranio conglutinanda, siue non: & hi rectius
longe faciunt; illi vero errant; nam semper proprium indumentum reducendum est supra
partem detectam, si fieri possit. Et profecto si illi, qui amputant, vidissent Galenum, non ita
agerent: nam Galenus in 2. de fracturis comm. 43. dicit, quod partes detectæ ita delectentur
proprio indumento & pelle, vt omnia vulnera melius succedant: & hoc tantum ap-
ud illum valebat, vt etiam denigratam cutim superimponeret. Et ideo moneo
vos, vt semper reducatis cutim supra detectum locum, etiam si esset denigrata & semiputrida:
nam maxime refert, vt pars propria & proprium indumentum hæreat & tegat partem pro-
prium, quod ego obseruavi sæpius, & his etiam diebus in quodam studio iuene Ger-
mano, qui ex recepto vulnere ad hoc deuenit, vt pars minimi digiti manus esset fere am- 30
putata, hærebat enim solû pauca pellis, reliquum erat separatû prorsus: vnde licet ego sci-
rem, esse impossibile, vt pars illa digiti conglutinaretur, tamen nolui paucam illâ pellem
secare & prorsus digitum amputare, idq; feci eo consilio, vt pars inibi maneret, & ob id
etiam consui, vt scilicet pars inibi manens tegeret partem sanam, & factum est, vt partes illæ
osseæ fuerint carne tectæ spatio solû trium aut quatuor dierû, quod mihi visum est veluti
miraculum: nã in aliis, vbi pars non tegitur à proprio indumento, id vix solet fieri septem
aut octo diebus. Videatis igitur, quãti referat vt pars tegatur proprio indumento. Quare
semper superinducatis pellem in vulneribus cutis capitis, nec credatis verum esse, quod
cutis non conglutinetur pericranio. Ratio autem cur cutis sit reponenda supra detectum
locum, siue sit conglutinanda ac coalitura, siue non, est primo, quia locus, si non suppo-
neretur cutis, refrigeraretur, & sic communicaretur refrigeratio pericranio & ossi & in- 40
terioribus membranis. Secundo cum huiusmodi vulnera ampla sint, antequam vulnus
totum æqualiter tegatur carne, longum tempus requiritur, & igitur postea ægre cicatrice
obducitur, ideo superponenda est cutis. Quo facto superimponenda sunt medicamen-
ta agglutinantia, & plura vulnera ego sanauit, in quibus tota fere cutis erat separata.

si aut sit con-
fusio.

Reuoluntior
error.

1.

Atqui si cutis sit tecta, & ad sit confusio, id est, si sit vulnus cum confusione, tunc vul-
nus est maioris momenti, quoniam contunditur & pericranium, quod facile dolet & cõ-
municat affectionem membranis intrinsecis. In huiusmodi autem vulnere curando re-
centiores ponunt in campum duos errores: primus quidem est, quoniam dicunt, quod si
confusio sit magna & vulnus paruum, oportere primo secare per trãuersum totum illud 50
cutis, quod confusum est & ampliare vulnus, quia oportet, inquit, vt sanies, quæ in pe-
ricranio gignitur, possit egredi, alioqui faceret abcessum. Sed si intelligerent Galenum,
non dicerent: nam Galenus vult, vt tegamus partem detectam, nedum vt detegamus eâ,
quæ proprio indumento prædita & munita est. Præterea, si ob rationem, quam designat,
volunt, vt secetur cutis, cur est, q. in genu & in articulis, quando contunduntur nervi vel
aliæ partes, non secant, vt egrediatur sanies? profecto nesciunt assignare rationem diuer-
sitate: Quare siue confusio sit magna & vulnus paruum, siue non, nunquam secetis con-
tusam cutim, nec amplietis vulnus, dummodo non sit læsum pericranium.

2.

Alter error est, quoniam dicunt, quod quando per sectionem ampliatum fuerit vul-
nus, debeamus labra explere linamentis imbutis aliquo medicamento, vt albo oui, &

ita

ita relinquere vultus per integram diem, vt postea possimus commodius detergere vultus. Sed errant, quoniam non egemus tanta deterfione.

Sciatis igitur, quod ex contusione semper fiat solutio quædam continui insensibilis, cui solutioni succedit, vt fiat aliqua dilatatio vasorū & anastomosis, id est, exultus sanguinis ex ipsis dilatatis fibris vasorum.

10 Ideo in vulnere cum contusione indicatur, vt applicemus ea, quæ possint dolorē mitigare & vasa claudere, ne maior sanguinis copia egrediatur, alioq̄ fieret suffusio & sanguis inibi corrumpetur, & sic postea opus esset secare: statim igitur imponatis hoc medicamentum, quod mihi solet esse familiare: *Accipio folia absynthii viridia, vero & addo ouum integrum cum luteo scilicet albo, & addo portionem olei rosati omphacini vel myrtini, & facio emplastrum*, quod superimpono, & optimum sane est. Sed priusquam imponam emplastrum, expleo vulnus linamento madido albumine oui. Sed si adit dolor, expleo linamento non solum madido albumine, verum etiam luteo simul, deinde superapplico emplastrum, quod optime constipat vasa, & non sinit plus sanguinis egredi & mitigat dolorem. A si fiat maior liuor in contusa parte, tunc duas habemus indicationes, prima quidē est, vt vniamus labra expleamusq; carne, & hoc indicatur à vulnere, quatenus vultus est. Altera vero indicatio accipitur ab ipsa contusione, & est, vt contusam partem separemus: nam contusa pars est ex toto præter naturam, & ideo auferenda, sed per separationem factam à natura; ipsa enim est, quæ separat & separat duobus modis, aut siccitate, vt corpora, quæ sunt siccissima, qualia sunt ossa: aut separat per concoctionem & macerationem, vt partes molles: & hoc modo, scilicet per macerationem separabitur cutis contusa. Oportet igitur primo, cum cutis non sit pars siccissima, applicare ea, quæ concoquunt & macerant sua qualitate, vt est terebinthina, qua cum fueritis vsi duobus aut tribus diebus, misceatis cum ea vitellum oui & oleum rosaceum.

Indicatio in vulnere cum contusione.

Emplastrum.

Purgato vulnere a contusa parte explendum est carne. Sed animaduertatis, quod concoquentia & macerantia debeant etiam habere vim aliquā detergendis; & ideo cum terebinthina & ouo admisceatis mel rosaceum, vel succum eleosellini, id est apii.

30 Quod si contusio sit sine vulnere, imponatis emplastrum de absynthio paulo supra descriptum, vel paucum silem cū albo oui mixtum, dummodo scilicet integra sit cutis: & hoc vno medicamento sæpe ego curavi contusiones cutis, imponatis ergo ipsum vna vel duabus diebus; & quia aliquid est extra vasa, idcirco fouendus est locus cum aliquo decocto. Accipio itaq; absynthium, chamomelum & similia eaq; coquo in lixiuio, quo postea locum contusum: nam digerit, detergitq; hoc facto inungo locum lardo salito vetusto (nam magis digerit discutitq;) vel vnguento alabastrico (nam digerit, discutitq; & constipat vasa) vel vtamini vnguento alabastrino descripto in Luminari maiori.

Si contusio sit sine vulnere.

De vulnere capitis cum lisione & cutis & pericranii.

CAPVT XIV.

40 Quæ ratione sit curandum vulnus capitis, in quo cutis tantum est vulnerata aut contusa, in superiori capite dictum est; sed accidit sæpe, vt non solum patiatur cutis, verum etiam pericranium sit vel sectum vel contusum, quid igitur erit tunc agendum? Recentiores statim cum vident sectum pericranium & detectum os, infundunt oleum rosaceum; alii oleum rosaceum simul cum terebinthina, alii terebinthinam simul vitello ouiali pulueres cephalicos dictos inspergunt, firmato prius sanguine, deinde imponunt aliquod ex modo dictis medicamentis. Galenus autem lib. 2. de comp. med. per loca in loco rotas citato dicit, quod si capitis os sit detectum, nos debere tentare conglutinationem.

50 Sed statim dicit aliquis; agglutinatio non succedet, quoniam pericranium non potest, (& veritas est) cū illis partibus agglutinari, si semel fuerit ab ipsis separatum: Nec dubitandum est de hoc: nam quoties vasa illa minima & fibræ itidem minime, quibus pericranium ligatur, fuerint separatæ semel tantum, non potest amplius pericranium cum osse ligari: Ergo male Galenus monet, vt tētemus agglutinationem. Dico, quod Galenus nouerit hanc rem, & ideo docet modum, quo fiat agglutinatio; vult itaque primo, vt supprimamus sanguinem vel cum posca, vel cum vino austero, vel cum linamentis siccis & huiusmodi, dummodo supprimatur, nihil refert, an hoc vel illo vtaris medicamento: Deinde vult, vt abradamus crustam superiorem ossis, & nō aliam ob causam vult, vt abrodatur os, quam vt pericranium & os inter se colligentur: Cum enim superficies ossis sit vt plurimum exanguis & arida, non potest in ipso osse gigni caro, nisi raro, qua coniungatur simul pericranium & os.

Obiectum.

Solutio.

Ut ergo caro colligans possit inibi gigni, Galenus mandat, ut abradatur os. Et aliquando multa, aliquando pauca egemus abrasione, prout os erit durius & crassius, aut mollius & tenuius, magis vel minus exangue. In pueris enim cum os cranii sit tenerum, tenue & sanguineo colore affectum, quia totum scetet sanguine, vix summa superficies est abradenda: contra in senibus, cum os crassum sit & durum & non habeat sanguinem in se factis profunde est abradendum. Terminus tamen abrasionis in omnibus est, ut eo usque abradamus, quod vltique viderimus, quod effluat sanguis ex ipso osse, perinde ac si essent lachrymę. Hoc factum, coniungenda sunt, inquit Galenus, labra per futuram vel per fibulas, & comprimenda labra ipsa supra subiectum os, & superimponendum aliquod medicamentum, quod habeat vim conglutinandi: hæc est curandi ratio Galeni optima, & amplectenda, qua ego utor, & moneo vos, ut utamini, & ex quo ego incidi in locum illum Galeni, nunquam alia ratione curandi talia vulnera sum usus, nec alia vnquam vtar: antea tamen, quia hæc non notieram, utebar illa ratione curandi recentiorum.

De vulnere capitis cum lesione pericranii & cranii.

CAPVT XV.

Verum accidit aliquando, ut non solum cutis & pericranium scendantur, verum etiam aliqua crustula & squamula ossis incidatur, in reliquis autem os nihil patiatur, ut nec sit contusum nec fractum, at prorsus integrum & sanum, præter quod quod separata sit portiuncula. Si igitur huiusmodi vulnere occurreremus, quid esset agendum? dico quod tenacula auferenda sit squamma illa ossis, deinde abradendum os, & si opus sit, consuenda labra & imponendum medicamentum glutinans, ut dictum est. Quod si acciderit, ut non possitis conglutinationem consequi, suscipienda est curatio per secundam intentionem, ut scilicet tentatis generationem carnis & repletionem vulneris, & cicatrice obducatis. Caterum si os patiatur ita, ut sit vel contusum, vel fractum, vel sectum, vel aliud simile passum, tunc affectus est grauior & maioris momenti, quoniam rupta est galca cerebri, & ideo magna requiritur diligentia. Sed antequam vltius progrediar, oportet videre, quos affectus patiatur os capitis.

*Os capitis
tribus modis
pati.*

Dixi itaque superius ex mente Galeni, quod os capitis tribus modis patiatur, vel enim contunditur, vel frangitur, vel vulneratur, id est, secatur: Contunditur autem vel secta cute, vel cute integra existente. Verum videamus primo, quid sit contusio ista ossis capitis, de qua loquitur Galenus lib. 6. meth. med. cap. 6. & vlt. & inquit, quod sit solutio continui in osse & Græcis dicitur *δυσμα*. Paulus lib. 6. cap. 91. exponens Galenum inquit, quod contusio ossis sit, quando os contunditur & deprimitur ex suo loco, ut quando os capitis puerorum ex contusione deprimitur. Et inquit, quod idem patiantur tenera ossa puerorum, quod patitur vas æneum, vel plumbeum, quando contunditur. Nam videmus, quod ex contusione pars deprimatur introrsum sine vel fractura vel apertione aliqua: idem fit, inquit, in osse capitis puerorum, quando contunditur, deprimitur introrsum, absque quo os sit fractum, vel aliqua in parte apertum.

*Aduersus
Paulum.*

Verum si per contusionem ossis apud Galenum intelligamus depressionem hanc, quam dicit Paulus, sequuntur incommoda, & primum est, quod contusio non erit solutio continui in osse, tamen dicit Galenus, quod ossa capitis patiantur tria genera solutionis continui, contusionem, fracturam & sectionem. At illi, qui volunt tueri Paulum, respondet, quod contusio à Galeno & aliis Medicis enumeretur quidem inter solutiones continui, non tamen hoc fieri in capitibus puerorum, quia ossa sint mollia, sed in capitibus adultorum. Præterea licet in pueris non fiat solutio ossis manifesta, ut fit in adultis, tamen & in osse puerorum fit solutio continui, sed est solutio occulta, & præcipue est in interna superficie ossis, quia os in ea parte laxatur. Nec dubitandum est, dari solutionem continui occultam; nam & in carne contusa datur aliqua solutio continui, occulta tamen est, & ipsam cognoscimus ex suffusione sanguinis: hoc est primum incommodum, quod nituntur effugere illi, ut tueantur Paulum & aduersentur veritari. Alterum inconueniens est, quod solutio continui ipsius Galeni non esset simplex affectio, sed composita, quoniam Hippocrates dicit, quod in quacunq; compressione per contusionem facta sit rima: tamē de sententia & Hippocratis & Galeni reperitur contusio simplex sine depressione. Itaque non debemus per contusionem intelligere, ut male Paulus, depressionem; nam depressio est passio ossis in situ, cum os immutetur situm: sed contusio est passio ossis pertinens ad substantiam, non autem ad figuram situmque ossis.

Dico

Dico igitur, q. apud Hippocrate in *lib. de vulnerib. capit.* reperiatur duplex genus contusionis: & de his generibus dicendum est, quod intelligat Galenus, quoniam ne quicquam recedit à doctrina Hippocratis, & cum recedit, quod raro est, monet nos, in quoniam & qua de causa recedat. Hippocrates ergo in *loco dicto* inquit, quod os aliquando collidatur in sua natura manens, & hoc est vnum genus contusionis, quando scilicet os contunditur & manet in sua natura.

Duplex genus contusionis.

Alterum vero est, quando os contunditur vel colliditur & non remanet in sua natura. Collisio, in qua os manet in sua natura à Galeno vocatur *σπῆσις* & ab Hippocrate aliquando *σπῆσις*, & à recentioribus collisio; & est quando substantia ossis patitur in ea occulta confusione & minimarum partium colligatione, quæ in ipso osse est, quia scilicet partes minimæ, quæ erant ligatæ ossi, laxatur, non tamen est facta manifesta aliqua apertio, sed est apertio & solutio talis, qualis est in carne vel nervo contuso, & de hac contusione loquens Hippocrates, dicit, quod non cognoscatur nec cadat sub sensum: & ideo non est mirum, si solutio continui talis non sit manifesta.

Sed diceret aliquis, si nō cadit sub sensum, non cognoscitur per analogiā ad alias contusiones, vt ad illam, quæ fit in carne, vt reuera non cognoscitur, quia in osse contuso nō fluunt humores, nec pars fit liuida vel nigra: si inquam non cognoscitur, ergo & Hippocrati ignota fuit, vel nouit ipsam quodam diuino spiritu inflatus, quod non est dicendum, & tamen contusio hæc est magni momenti, ita vt sæpe moriantur ægri, & non moriuntur, quia os fuerit refrigeratum, vt isti dicunt, sed quia genita est mala sanies, quæ concidit in internam membranam ob fracturam. Dico, quod Hippocrates dixerit non cognosci, vt solum indicaret difficultatem maximam cognitionis, quæ maxima sane est; tamen ego ex me in praxi inueni rationem cognoscendi huiusmodi contusionem.

Obiectio.

Inspiciatis igitur diligenter os detectum, quod os quando est in sua natura, est coloris subrubri, non candidi prorsus, nec rubri prorsus, sed est veluti color mixtus, & ex albo declinans ad rubicundū, vt si in multo lacte vel alio colore candido poneris parū sanguinis vel alterius rei rubræ, resultabit quidā color q. est similis colori ossis capitis dū secundum naturā se habet. Si itaque tribus diebus videatis os detectum habere talē colorem, dicatis, quod non sit contusum: sed si videritis inæqualitatem coloris in ipso osse detecto, ita vt adsint veluti puncta coloris albi & aridi ossis, quæ aridæ particule aliquando sunt maiores, aliquando minores: si (inquam) non videas colorem illum equaliter in toto detecto osse, sed esse puncta illa albicantia per ipsum os dispersa, ita vt sint aliquot macule rubræ, aliquot albæ, sciatis, quod os sit contusum: & hæc est ratio cognoscendi in tribus primis diebus, an os sit contusum nec ne? Post tertium autē diem clarius cognoscitur, quia os fit pallidū & aliquando nigrū, sed animaduertatis q. aliquando reddatur nigrū à medicamentis impositis. Isti autem reddentes rationē, cur os detectū fiat nigrum post tertium vel quartum diem, dicunt, quod hoc fiat, quia vasa orta à dura matre & disseminata per os, sint separata ab ipso osse, & ideo os redditur veluti mortuum, quia non recipit amplius sanguinem.

Ratio cognoscendi os contusum.

Vnde cum primum vident denigratum os, abradunt ipsam vsque ad duram matrem, & sæpe reperiunt membranam ipsam ossi adharētē. Vnde patet ipsorum error; nam reuera errant, quia causa nigritiei ossis est contusio ipsa. Prima itaque contusio est, quando os in sua natura remanet & est laxatio partium minimarum ipsius ossis; non tamen tanta est laxatio, vt separentur: & talis contusio primis diebus cognoscitur maculis illis albicantibus.

Hæc contusio sæpe reperitur & raro est, quod in osse sit fractura vel sectio, quin in labris ossis fracti vel secti adsit talis contusio: & si obseruaueritis, videbitis in labris ossis signa talis contusionis: & licet sæpe huiusmodi contusio reperiatur cum rima fracturæ, tamen aliquando est per se & sola reperitur; tamen ex autoritate Hippocratis est cognitio admodum difficilis & fere impossibilis, non ita tamen impossibilis, quin ab exercitato Medico cognoscatur ex bullis & maculis illis rubescētibus, & ex maculis & veluti punctis illis albicantibus, quæ cognitionem assequetur primis tribus diebus: peracta deinde tertia vel quarta die habebit aliud signum, & est liuor vel nigredo ossis contusi. Hæc contusio leuis, vt dicebam, vt plurimum concomitatur fracturam, ita vt raro accidat, quin in fractura adsit pars aliqua ossis contusi; per se tamen etiam aliquando reperitur, & quandoque est in summa superficie ossis tantum, id est, in extrinseca lamina, quæ & extrinseca vitrea dicitur; quandoque deuenit

vsque ad meditullium, quandoque vsque ad laminam internam, ita vt totum os à summo fatis leuis: quando vero peruenit vsque ad meditullium, est periculosa, quoniam gignitur sanies, quæ prolapsa in membranam, duram matrem vocatam ipsam erodit.

*Secundum
genus contu-
sionis.*

Secunda contusio est, quando os contusum non consistit in sua natura & situ, sed recedit à propria natura, & recessio est, quod ossa contusa mutant situm, quia deprimuntur: Ergo secunda contusio est, in qua os mutat situm, quia deprimitur; & hæc contusio duplex est: vna Hippocrata, altera Paulina, id est, à Paulo descripta; & ea, quæ explicatur ab Hippocrate, talis est, quod semper adest rima, & talis contusio vocatur à nostris *elissio*, quam Hippocrates dicit semper habere coniunctam rimam, si non manifestissimum, saltem latentem, quoniam cum os debeat in huiusmodi contusione deprimi, sitq; durum, non potest à suo loco, situque recedere, nisi aliquo modo frangatur. Altera vero contusio explicata à Paulo est, in qua os deprimitur sine rima, quæ sit tantum in capite puerorum, & non sit rima, quoniam puerorum ossa mollia & lenta sunt, ita vt ab obstetricibus possint eo modo, quo voluerint, puerorum capita efformari. Et sæpe accidit, vt in extrahendo fœtu, si atripiant ipsum capite, vt caput acquirat figuram oblongam: sed si exercitata sit & perita obstetrix, antequam abluat ipsum fœtum, deprimet caput & acquirat pristinam figuram: sed aliquot sunt ita ineptæ, vt aliquando reddant capita puerorum inæqualia. Cum itaque puerulorum ossa tenera sint & lenta, possunt ex contusione deprimi, absque quo fiat in ipsis aliqua fractura seu rima, sicuti videmus cæca & plumbea vasa.

*Contusio de-
primens sin-
plex.*

Igitur prima affectio ossium capitis est contusio, quæ duplex est: vna in qua est solutio continui compagis minimarum partium; & hæc contusio subterfugit sensum: cognoscitur tamen primis diebus ab exercitato Medico ex immutato colore, & hæc contusio illa Hippocratis est, quæ est morbus simplex: Altera est contusio cum depressione, in qua os patitur in sua substantia, quia deprimitur à loco proprio; & hæc est duplex: vna in osse duro, quæ semper habet rimam coniunctam: altera in osse molli atque lento, quæ est sine rima.

*Secunda so-
lutio conti-
nui.
Duplex est.*

Secunda solutio continui proposita à Galeno, quæ accidit in ossibus, est *issio*, hoc est, fissura, vel fractura, vel rima, quod idem est; & hæc est duplex, vna, quæ à Græcis vocatur *epicranda*, id est, capillamentum; est enim rima occulta & quasi capillaris & admodum angusta; altera rima est, quæ sensibus patet, & vtraque habet differentias aliquot: nam alia est rima profunda perueniens vsq; ad interiorem laminam ossis, ita vt totum os à summo ad imum sit fractum; alia vsque ad meditullium tantum peruenit: alia est solum in summa ossis superficie: aliqua est brevis, alia longa; alia hoc, alia illo modo facta. Et eiusmodi rima solet emittere sanies & virus, quæ sanies si penetret vsque ad intrinsecam membranam vestientem cerebrum, erodit ipsam & inflammationis mortisque periculum affert.

*Tertia solu-
tio.*

Tertia erit continui solutio in osse *aliqua* ab Hippocrate vocata & à nostris excisio vel concisio; & nihil aliud est, quam vulnus ossis. Et in solutione notate, quod Paulus *lib. 6. cap. 90.* inquit, quod sit semper cum fractura coniuncta; sed interpret est deceptus, neque enim ita legitur in codice græco; sed legimus, quod semper sit coniuncta cum illusione seu contusione, & ita reuera legendum est. Nam & Hippocrates *in lib. de vulneribus capitis* inquit, quod vt plurimum cum vulnere ossis sit coniuncta contusio alicuius partis ossis. Vulnus autem ossis dicitur, vt superius etiam diximus, quando in osse remanet vestigium efficientis, id est, teli vel secantis vel pungentis, &c. Et hæc pariter solutio variat: nam quandoque peruenit vsque ad meditullium, quandoque profundior est, & alia est cum contusione, alia sine illa: sed raro est sine contusione: alia longa, alia brevis, alia per transversum, &c. Ex his solutionibus succedunt fracturæ & sanies generatio, & ideo requirunt maximam diligentiam, quoniam & mors sæpe succedit. Hi sunt affectus, quos os capitis patitur.

*Quartum
genus est co-
minutio.*

Quibus additur à me comminutio, quando scilicet substantia & portio aliqua ossis pernitentius aufertur & exasciatio à Paulo appellatur: & necessario talis solutio continui ossis est addenda, quoniam non potest ad aliquam dictarum trium reduci, etiam si Hippocrates videatur reducere ipsam ad apocopin.

*Calamitas
hippocratis.*

Addit Hippocrates *in lib. de vulneribus* aliud genus affectus ossis capitis, quem affectum vocat ipse calamitatem, quoniam non possumus ei opem ferre, & talis affectus non potest esse vulnus nec excisio, sed solum contusio & fractura. Sed dices, quomodo contusio & fractura sunt affectus perniciosi, cum possim⁹ ipsis opem ferre? dico q; sint affectus perniciosi, quoniam alii quando

quando ignoramus ipsos, & quia ignoramus, non possumus medicamentis occurrere: unde cum nesciamus, in quo nam loco os sit fractum aut contusum, gignitur ibi sanies, quæ labitur ad interiores membranas & inducit mortem: Ignoramus autem, inquit Hippocrates, locum contusum vel fractum, quoniam aliquando accidit, ut contundatur caput in vna parte, & os in ea parte nihil patiat, sed frangatur in parte opposita; unde affectus nescientes nullum auxilium applicamus & sic succedit mors.

Sed in hac re est difficultas, quoniam alii credunt hoc, quod dicit Hippocrates, quod scilicet os contusum in vna parte, non frangatur in ea parte, sed in opposita. Alii autem hoc prorsus negant. Et primus, qui dixit hoc fieri, fuit, ut dixi, Hippocrates in libro de vulneribus, *Os in vna parte contusum, in opposita frangi.*
 10 secundus fuit Soranus in libro de affectibus capitis, ubi affert etiam exemplum pro confirmatione huius sententiæ hippocraticæ, & exemplum est de vase vitreo, quod sæpe percussum in vna parte, contrahit ruinam in altera parte opposita: quod reuera ita est, ut ego experitus sum in phialis vitreis, ut & vos, cum domi eritis, poteritis experiri. Ii pariter, qui conficiunt campanas, si velint campanam in vna tantum parte frangere, percutiunt ipsam in opposita, & res succedit ut volunt. Idem dicit Soranus, fit in osse capitis, quia durum & fragile est.

Addunt recentiores etiam exemplum de cucurbita sicca & seminibus vacua, quæ si leniter contundatur, contrahit ruinam in parte opposita. Ratio autem est, quoniam ictus & contusio communicatur per durum illud corpus parti oppositæ per partem post partem, & ab utroque latere deuenit spiritus, vel aer internus conclusus in cavitate vasis & agitur usque ad posteriorem partem oppositam & inibi contusio vtraque seu spiritus illiduntur simul & sic in ea parte corpus frangunt. Igitur aer internus agitur & contusio concurrens in eodem puncto est illa, quæ frangit. Quod vero aer in cavitate & potis corporis concussus agitur ex concussione & concurrens per corpus orbiculare in idem punctum, fit ille, qui corpus illud frangat in eo præcise loco, ubi fit concussio spirituum, atque congressus, apparet ex tremore corporis contusi, siue illud sit ex vitro, siue ex ære, siue ex alia materia, dummodo corpus illud sit continuum. Nam tremor ille non aliunde nascitur, quam ex halituoso spiritu in cavitate vasis contento atque in poris eiusdem & agitur ex concussione: dum enim per orbiculare cordus utrinque defertur, concutit etiam vas, efficitque ut tremat, & tandem conduplicata contusione atque ictu in parte, ubi congregitur aer lateris sinistri cum aere seu spiritu lateris dextri ipsius vasis, fit, ut ea in parte vas frangatur.

Accedit autoritas Celsi lib. 8. cap. 4. ubi inquit: *As solet euenire, ut altera parte icta, altera findatur;* Celsus autem fuit vir summæ autoritatis, & maximus imitator doctrinæ hippocraticæ.

Addatis etiam autoritatē Nicolii Florentini Medici doctissimi, qui fecit coaceruationem ex omnibus Medicis, & certe est pulchrum opus; in eo igitur libro inquit, se vidisse hominem, qui exercebat artem funariam, id est, conficiendi funes, qui receperat ictum in vna parte capitis, & factum est apostema in altera & fractura, & tandem sanatus homo
 40 ille est. Eandem opinionem confirmat Ioannes de Vigo & omnis fere schola practicanium. Et ego etiam vidi tres vel quatuor, quibus os fuerat contusum in vna parte & in parte opposita factus abscessus & aliqui moriebantur. Vera igitur videtur esse sententia Hippocratis.

Cæterum in oppositum est Galenus, *nā in commento de usu partium* inquit, quod futuræ capitis factæ sint ad hunc usum, ne, quando vna pars capitis contunditur, & frangitur, frangatur totum os; nam nisi essent futuræ, quando os, verbi gratia, frangitur in parte anteriori, rima procederet usque ad posteriorem. Cum itaque os capitis non sit integrum, non potest contusa & fracta vna parte, frangi in parte opposita; quia contusio nequit communicari parti oppositæ: phiala autem campana & cucurbita sunt corpora integra, ideo in ipsis potest contusio vnius partis esse in causa, ut fiat rima in parte
 50 opposita.

Adest & autoritas Pauli lib. 6. cap. 90. ubi inquit, quod errent illi, qui putant, quod contuso osse in vna parte, frangatur in opposita, quoniam futuræ inhibent hoc.

Secundo inquit, quod exempla non sint similia; nam vas est vacuum, caput autem est plenum: sed hoc parui refert: at fat vobis sit, quod ex Pauli etiam sententia non potest contusio in vna parte frangere os in opposita.

Addatis & autoritatem Guidonis, qui apud me tantæ autoritatis est, quantæ fere est Hippocrates; nā fuit doctissimus vir & maximæ experientiæ. Ille igitur reprehendit eos, qui dicunt, quod contusum os capitis in vna parte frangatur in opposita. Nec valet si quis dicat, quod tamen dictum Hippocratis non habeat veritatem in capitibus,

in quibus sunt suturę, tamen locum habere in capitibus integris, quę capita iuxta sententiam Herodoti & Aristotelis in *tertio de hystor. animal.* dantur: non valet inquam, quoniam non reperiuntur eiusmodi capita sine futuris. Nec mirum si Herodotus dixerit ipsa dari, qui fuit princeps & inuentor fabularum. Ad Aristotelem autem dico, quod ipse in hoc erret, & sui erroris causa fuit, quia accepit hoc fortasse ab Anatomicis illius temporis.

*Herodotus
fabularum
inuentor.
Aristotelis
error.*

De Hippocrate aliqui, ut ipsum tueantur, dicunt, quod ipse per partem oppositam intelligat partem lateralem eiusdem ossis: nam accidit, ut contuso osse sinuipitis in medio, frangatur in aliqua duarum partium lateralium eiusdem ossis. Erratio est, quia os illud est tenuius in partibus lateralibus prope suturas, quam in medio: & hoc declarant exemplo tabulę, quę in medio sit crassa, ad latera autem tenuis; si enim percutiatur violenter in medio, frangetur sicuturq; in parte laterali. Hac ratione posset defendi bonus ille senex; tamen Celsus non potest defendi, quia clare locutus est: at Hippocrates quia & brevis est & satis obscurus, posset modo dicto defendi. Verum si & ipse clare exposuisset se ipsum, profecto credo; quod non posset defendi: nolo tamen, ut dicamus ipsum errasse.

Sum tamen ego in hac sententia, quod impossibile sit, ut osse capitis contuso in vna parte, utpote anteriori frangatur in occipite, quoniam futurę sint, quę impediunt: sed si esset integrum, utiq; id posset fieri.

Ad illum autem Florentinum dicit Paulus, quod in dimicationibus accidat sæpe, ut aliquis recipiat ictum in aliqua parte. Et tamen ille, qui recipit ictum, non percepit illum. Idem quoq; potuisset accidere illi funario. Sed de apostemate & inflammatione illa dico, & hoc notate, quod accidat sæpe, ut vna pars contundatur & tamen excitetur inflammatio in parte opposita; sed quanam ratio istius est? Debetis scire, quod in plenilunio, quando luna lucet tota nocte, caluaria tota turgeat & humiditate referta sit: quando autem non est plenilunium, caluaria non prorsus expletur à cerebro, sed adest spatium aliquod, & vasa, quę colligant, sunt aliquantulum distracta. Et hoc sciatis esse verissimum, quod ego in dissectionibus obseruavi. Hoc stante, dico, quod si accidat, ut caput recipiat ictum & contundatur, quando non adest plenilunium, & cerebrum non explet totam caluariam, tunc caput ex contusione propellitur, & cerebrum etiam versus eundem locum, cumq; cerebrum reperiat cranium, illudit & retrocedit, & ex hac reflexione fit, ut aliqua vasa in parte opposita parti contuse frangantur, & sic excitetur inflammatio in parte opposita. Restitutio itaque violenta cerebri est in causa, ut frangantur vasa, & fiat inflammatio. Quod autem fiat talis resiliio ex motu in parte opposita, patet exemplo familiari: nam si figatis clauum aliquantulum in aliquo ligno & percussio lignum in parte opposita aciei clauis, clauus magis infigetur, quam si altero clauo impelleretis ipsum, ut vos ipsi poteritis experiri. Quare non est dubitandum, quod contusa vna parte ossis capitis, excitetur inflammatio in parte opposita: & hoc accidit, quando tota caluaria non expletur à cerebro, quod fit, quando est plenilunium. Os igitur capitis peritur, quando est illisum contusumq;, quando est fractum, quando est vulneratum, & tandem addatis, quando affligitur comminutione. Hi sunt simplicissimi morbi, quod patitur os capitis per solutionem continui.

*Caput vari-
ari in pleni-
lunio.*

*Herentia of-
sis.* Quibus addatis & affectus compositos: nam aliquando frangitur & comminuitur os in partes, & partes illę comprimunt vel pungunt membranam internam: aliquando frangitur in partes, sed partes illę ossis non ita recedunt ex suo loco & ita non valde comprimunt membranam; & huiusmodi ossis affectio vocatur hærentia vel adhærentia ossis membranę, à Grecis autem *ιμπίσιμα*, id est, inhærentia, vel *καψίσιμα*, id est, compressio: Aliquando os frangitur, & partes ossis recedunt ex suo loco, sed non versus internam membranam, at attolluntur versus pericranium: & talis affectio dicitur à Grecis *κατακλιση*, quasi dixeris concameratio, eo, quod ex elatis partibus ossis subtus remaneat fouca, vel uti camera quędam. Accidit autem talis affectio, quando telum aliquod, pugio verbi gratia, infigitur capiti & ita hæret ossi, ut nequeat extrahi, nisi violenta attractione. Vnde fit, ut quando pugio auellitur, partes ossis à pugione fractę eleuentur. Hę sunt tres solutiones continui compositę ex illis simplicibus supra dictis, quas patitur os capitis.

*Quanta sit
ossi affectio,
raro cogno-
sci.*

Ceterum accidit, sed raro, quod omnes affectiones, quas os capitis patitur, veniant nobis in conspectum, siue sit contusum, siue vulneratum, siue alio modo patiat, & non solum cognoscimus, quis affectus sit, verum etiam quantus sit & in quo loco, raro tamen accidit, ut certo possimus cognoscere, qualis sit ossis affectio, quanta & in qua parte. Si quod

quod tamen vulnus est, quod requirat certam notitiam & defatiget Medicos, est certe vulnus ossis capitis & præcipue tunc fatigat, quando patitur os & integra est cutis. Neque enim conuenit secare cutim & separare periostium ab osse, nisi scias quod os patiatur; nam posses secare, & os nihil pateretur, & sic magnus fuisset error cutim secuisse & locum aperuisse. Si contra non secueris, generabitur sanies, quæ labetur ad membranam interioriorem & succedet mors. Idcirco oportet aliqua coniectura satis certa cognoscere, quando os patiatur & quando non.

Hæc de causa Medici omnes proponunt nobis quasdam occasiones & locos, vnde possimus promere aliqua coniecturalia signa, quibus cognoscamus affectus ossis capitis, de quibus signis agendum nobis nunc est.

Primo igitur accipiuntur signa à corpore contundente vel feriente.

Secundo à loco, vnde venit ictus.

Tertio à modo ictus.

Quarto ab agente seu percutiente homine.

Quinto à parte capitis percussa.

Sexto à spatio læsionis, an scilicet læsio occupet magnum vel paruum spatium.

Septimo à qualitate partium componentium.

Octauo à symptomatibus, quæ sequuntur affectum ipsum.

Nono à symptomatibus partium, quæ habent sympathiam & consensum cum cerebro & capite, sunt enim quedam partes, quæ ita consentiunt cum capite, vt ipso affecto afficiantur.

Decimo & vltimo ab ingeniis, vt ita dicam, quæ tentat Chirurgus circa apertum vulnus. Hæc sunt loca & occasiones, quæ subministrant aliqua signa coniecturalia cognoscendi fractum ne sit os, an non, quantitatem fracturæ vel contusionis, & in qua parte os sit fractum aut contusum.

Ad primum quod erat corpus contundens vel feriens, dicunt autores, quod tria sunt circa corpus percuciens obseruanda, substantia, pondus & figura, ex quibus obseruatis colligunt, an os patiatur & quantum & in quo loco. Si enim corpus percuciens fuerit molle, indicatur quod os non patiatur: si autem durum, vtiq; & si corpus fuerit ponderosum & graue, signum est, quod os sit maxime contusum seu fractum, sique corpus illud fuerit retusum, colligunt non posse esse vulneratum os sed potius contusum: contra autem si fuerit acutum & secans.

Secunda occasio erat, vnde veniat ictus: nam obseruandum est, an ictus venerit ab alto loco vel ab æquali, vel à propinquo, vel à remoto, vel à latere: nam ictus, qui venit à loco remoto, est leuis; at ictus leuis non potest lædere os vel parum lædit, si autem ictus veniat à loco superiori & propinquo, leuior est multo, quam si venerit à superiori & remoto, quoniam brachium, tamen si moueatur deorsum suo pondere, tamen in tam paruo spatio non potest acquirere magnum impetum. Præterea muscoli mouentes brachium deorsum sunt debiles.

Tertium erat modus: nam aliquando caput percutitur à lapide, verbi gratia per obliquum, aliquando per rectam lineam: & quando est per obliquum, ita vt non firmetur, sed præterlabatur, & vt vulgo dici solet, squinze, etiamsi secta fuerit cutis, non potest esse magna læsio ossis: contra autem quando ictus venit per rectam lineam. Si etiam telum intorte lædat, vt solet fieri à sagittis (nam circumuoluendo sese & oblique veniunt) non potest esse vehemens ictus.

Quartum erat homo percuciens, in quo est obseruandum, an qui percussit, sit corpore robusto, musculofo, an debili, an exercitatus iacere tela vel similia, nec ne; & si noueritis aliquem fuisse percussum a robusto homine, sciat, quod ictus semper sit magnus, etiamsi percusserit ex longinquo spatio & non dubiteris de hoc. Vnde his diebus vidi eorum casum notatu dignum. Cuius quidam in hac vrbe habebat puellam, quam obseruauit ex fenestra loquentem cum iuvene quodam, ipse qui pater erat, interrogabat filiam, quid ipsi cum iuvene illo esset, cumque puella non ita cito respondisset, dedit illi alapam, & concussum depressumque est os capitis in parte laterali: nam cuius ille robustus valde erat. Itaque si ille, qui percussit, est validus, semper dicatis ictum fuisse magnum & ideo os esse læsum. Addatis maiorem ictum fuisse si non solum homo percuciens sit robustus, verum etiam exercitatus iacere telum, vt puta globum plumbeum: nam exercitatus magis & violentius iacit, quam non exercitatus. Præterea obseruandum illud, quod obseruant illustrissimi & clarissimi domini nostri Veneti, an scilicet ictus fuerit casualis an cogitatus: nam ictus, qui de industria fit, vehementior semper est, quam qui casu fit: ta-

Signa coniecturalia circa os affectu.

De primo signis.

Secundus signum.

men & qui casu, potest esse magnus. Obseruandum etiam circa idem caput vel locum est, an ille, qui percussus est, sit audax vel timidus, & an quando est percussus, aufugerit, an vero contendet, nam ictus, qui inter fugiendum fiunt, sunt minores, quam illi, quos æger recipit, dum audax resistit hosti, nec vult aufugere.

5. Quintum erat pars concussa, & in hoc oportet callere & optime nouisse anatomen, vt cognoscatur in qua parte os sit magis munitum, & in qua minus, & vbi crassum & durum, & vbi tenue. Vnde si percutiatur caput circa tempora, leuis etiam ictus potest os lædere, quia tenue admodum in illis partibus est; idem quoq; dico de osse sincipitis: contra autem in osse frontis & occipitis. Obseruandum quoq; an, qui percussus est, sit puer vel adultus: nam in pueris facilius læditur præcipue in temporibus & sincipite, vnde si conciderent in tempora pueruli, sicut frequenter concidunt in occiput & frontem, frequenter habere sit os capitis fractum.

6. Sextum erat spatium percussione: nam si sit magna pars cutis capitis contusa, aditq; nigredo, sciat, quod raro fit, quod os non sit passum: Contra autem quando concussio occupat paruum spatium.

7. Septimum erat ab iis, quæ ad sunt partibus adiunctis: nam cutis in aliqua parte capitis est tenuis, in aliqua crassa: si igitur percutiatur caput in parte posteriori, cū inibi cutis sit crassa, non ita facile patitur os, vt in aliis partibus: Igitur & ab adiunctis colligetur, an os sit percussum, nec ne: Et non hoc solum colligetur à cute ipsa adiuncta, verum etiam ab extrinsecis adiunctis, vt ab indumentis, vt si æger quando ictus est, habebat in ea parte, qua est ictus, aliquod tegumentum crassum, non est ita timendum de percussio osse. Vnde ego his diebus, cum haberem aliquem, qui exercebat artem conficiendi bireta & accepisset ictum in capite interrogauit, quid in capite habuisset cū fuerat ictus, cumq; intelligeret, quod habuisset biretum duplicatum, collegi os non esse percussum, ita curauit contusam cutim & apertam etiam aliquantulum, sicuti curatur concussio, & res feliciter successit.

8. Octauum erant symptomata consequentia læsionem capitis & ossis, inter quæ est strepitus, qui editur ex percussione. Si itaque vel eger vel astantes dicant, quod caput ex ictu sonauerit, vt solet cucurbita sicca, quando percutitur, colligatur quasi certo passum esse os, & rarissime accidit, quin os sit fractum vel contusum, quando percipitur talis strepitus ex percussione. Aliud symptoma est dolor circa cranium & partes internas: Quando igitur audieritis, quod eger percipit talem dolorem, colligatur os esse vel contusum vel fractum: nam dolor fit vel quia os comprimit partes internas, vel quia aliquando frustum ossis pungit membranam. Addit etiam Hippocrates quedam symptomata, ex quibus habentur potius signa ictus magni vel parui, quam quod os sit passum nec ne: tamen & ex ictu postea magno vel paruo colligatur aliquam coniecturam, an os fuerit lesum nec ne. Vnum igitur symptoma est, si æger ex ictu concidat in terram, colligit os pati. Similiter si, dum percutitur, deficient ipsi facultates animæ, vel si caligent oculi, vel accidat vertigo, ex his omnibus colligit Hippocrates os pati. Sed hæc, vt dixi, indicant potius vehementiam ictus. Celsus addit, quod si æger obmutescat ex ictu etiam dimicetur vel ambulet, colligit os pati, quia affectio communicata est etiam principio neruorum deuentium ad linguam. Addit secundo indicari os pati, si sanguis ex palato, vel auribus, &c. egreditur ex ictu: nam hoc fit, quia laceratum est vas aliquod in partibus internis ratione magnæ contusionis. Verum hæc symptomata non sunt signa affectionis ossis, sed potius partium internarum & magni ictus: non ob id tamen Hippocrates est accusandus, quia ipse habuit semper pro scopo, vt cognosceret vehementiam ictus, quod cognoscitur ex affectibus partium internarum.

9. Nonum erant symptomata partium illarum, quæ habent sympathiam cum capite. Si itaque videritis, quod post ictum æger euomet, & vomitus non perueniat ratione magnæ debilitatis stomachi, colligatur, affectus esse partes capitis internas, & inde affectum esse os inferetis; nõ tamen signum hoc est perpetuum: nam vidi ego aliquot ex ictu recepto in capite euomuisse & mortuos tandem esse, & cum dissecuissem, nullum reperi affectum ossis; & inter cæteros vidi vnum, qui ex alapa recepta incidit statim in vomitum & mortuus tandem est, nullaq; ossis affectio est reperta. Ex his igitur locis poteritis habere aliqua signa, quibus cognoscetis, an os sit affectum nec ne. Sciat autem quod omnia hæc signa sint coniecturalia.

10. Decimum & vltimum est, quod continet modos & ingenia, quibus recentiores chirurgi vtuntur ad cognoscendum, an os patiat nec ne. dixi recentiores, quoniam apud antiquos nullam reperietis factam mentionem illorum modorum. Primus autem modus est talis: Mandant recentiores, vt æger arripiat funem dentibus & stringat comprimaturq; ipu

ipsi deinde accipiunt manu alterum caput funis & trahunt valide, cumque funem tenfam esse vident, virga ipsam funem percutiunt, & si ex tali percussione sentiat æger stridorem aliquem dentium, tunc dubitant de caluaria ipsa fracta vel contusa: & ratio est, inquit, quia maxilla superior optime hæret caluarie, ideo fit, ut cū ossa caluarie fracta sunt, ille stridor excitetur.

Alii faciunt quidem experimentum cum fune, sed alio modo: mandant enim ut æger arripiat alterū caput funis dentibus, deinde ipsi accipiunt caput alterū & attrahūt ter quaterq; & si ex tali attractione caput doleat aliqua in parte, colligūt ibi os esse læsum, vbi dolor excitatur. Tertio accipiunt nodū paleæ, id est, ex caule triticeo, & dicunt ægro, ut mandat & comprimat sub dentibus nodum illum, vel loco nodi accipiunt nucem iuglandem, vel aliquod ex organis chirurgicis: & si ad masticationem & compressionem doleat aliqua in parte caput, colligunt inibi esse affectum os. Vltimo accipiunt virgam & integra existente cute capitis percutiunt virga & satis valide caput, & si edat sonum faucum & veluti cucurbitæ fractæ aliqua in parte, asserunt inibi os pati vel contusionem, vel rimam, vel contusionem & depressionem.

Hæc sunt experimenta recentiorum, quorum quædam possunt quidem indicare cutim contusam in aliqua parte capitis, sed non os contusum vel fractum, ut si contusio sit facta circa musculos temporales, utique dolor excitabitur ex compressione alicuius corporis sub dentibus: at si contusio sit in partibus superioribus capitis, non fiet dolor. Ideo experimenta hæc leuia admodum sunt, tamen quia reperiuntur apud autores, & accipiuntur ab omnibus, idcirco volui & ego ea vobis proponere, ut possietis etiam, si volueritis, reuocare in usum.

Vitis signis, quæ ducunt nos in aliquam notitiam ossis læsi, cute existente integra, iam deueniendum est ad aliqua signa certa ducuntia nos in notitiam, quando os patitur, cute non existente integra: & quia signa hæc dicenda colliguntur ex sensu, ideo certa sunt, & omisso, quod oculis possimus cognoscere, an os patiat nec ne, venio ad alia, quæ idem nobis certo indicant, & primum est specillum, quod est veluti manus mortua ipsius Chirurgi, & ab istis vocatur proba, eo quod probet, an affectus adsit, nec ne. Verum circa specillum notandum est ex Celso *lib. 8. cap. 4.* quod non quodlibet specillum sit opportunum ad inuestigandum an in osse sit rima vel contusio: si enim specillum sit valde acutum, non est idoneum, quia, cum os capitis habeat quosdam poros & meatus naturales, fiet hoc, quod ingredietur meatus illos, & sic referet rimam naturalem pro non naturali, & ideo non debet esse admodum acuta acie: nec debet esse nimis obtusum, alioquin capillares & tenues rimas, non ingrederetur. Sit itaque mediocre specillum, aut ex argento aut ex ferro aliave materia, nihil enim refert, & hoc mediocre specillum iniciatis in vulnus, & si inueneritis, aliquot rimas vel puncta & exasperationes, colligatis os esse fractum.

Secundo si vulnus apertum sit, poteritis hoc modo inquirere: mandate ægro, ut digitis comprimat sibi nares, & faciat ne flatus egrediatur, at contineat flatum valde, & tenter efflare, tunc si fractum erit os, videbitis guttulam sanguinis vel cuiusdam humoris emanantem per occultam rimam & hoc est certissimū signum, non tamen semper apparet, gutta illa, sed cū apparet est certū signū. Sed notate, qd si vulnus ossis, id est, rima occulta pueniat vsq; ad membranam internā, sat erit vna vel altera retentio & cōpressio flatus: sed si rima deueniat vsque ad medullium tantum, plures requiruntur, quia non solum requiritur, si debeat resudare sanguis, ut turgeat dura mater, verum etiam venæ illæ, quæ sunt dispersæ per medullium.

Vltimo quando ignoramus an adsit rima, solemus imitari experimentū hippocraticum, ut accipiamus atramentum scriptorium antiquorum factum ex fuligine; vel nostrate ex chalcantio, & imbuo linteolum illudque ita imbutum pono supra os detectum, ibique relinquo vsque ad alteram diem: & si aderit rima, atramentum per ipsam penetrabit, & ita altera die quando detegis, reperies lineam nigram; si autem os non sit fractum, erit denigrata tantum superficies ossis, & si abradas, nihil nigri remanebit: sed si rima adsit, etiam si abradas, remanebit tamen linea nigra, & hoc experimento ego tanquam certissimo vtor.

Recentiores vtuntur & alio: capiunt mastichen, & dissolunt cum albo oui & facta veluti pasta superimponunt ossi, quod timent esse fractum, & relinquunt vsque ad alteram diem, & cum accedunt, dicunt, quod si aliqua in parte medicamentum redditum fuerit siccius, inibi sit rima, quoniam siccet medicamentum in ea parte ratione vapo-

Signa, quando os patitur integra existente cute.

Specillum.

3.

Signa quædam recentiorum, sed vana.

rum exentium per rimam. Ego ipse aliquando sum usus hoc experimento in osse, quod sciebam esse fractum, ut experiret an hoc esset verum, & nunquam potui assequi ariditatem aliquam in vna parte medicamenti maiorem, quam in alia. Solent & aliud experimentum facere, quando cutis est integra; capiunt medicamentum, quod iam dicam, obliniunt, extenduntve supra lineam & ponunt supra totum caput abrasis prius capillis ibique relinquunt per noctem & dicunt, quod si os erit fractum, medicamentum in ea parte sit depressius (quia & os fractum depressius est) & simul siccius. Medicamentum autem est tale: *capiant thuris, cere, ladan ana vnc. ij. & colligunt albumine oui.* Alii accipiunt medicamentum sequens, & facta pasta faciunt veluti scussiam ex illa pasta & toti capiti abralo imponunt, relinquuntq; per totam noctem credentes, quod vbi medicamentum altera die, quando auferetur, erit perforatum, inibi os esse fractum: nam perforatio fit à vapore & spiritu egrediente per rimam. Medicamentum autem sic habet; *Rec. cere, ladan ana lib. ij. terebinthine, farine fabarum, aceti ana lib. 2. dissoluantur in aceto apud ignem, & misceantur, postea medicamentum manibus emolliatur.* Ego hoc medicamento nunquam ausus sum uti, quia ponderosum nimis est; nec video quo modo illud ipsum possit perforari, cum sit satis crassum. Alio autem medicamento nuper dicto usus sum, sed in eo nullam vnquam ariditatem inueni, etiam si os esset fractum: Et si aliqua in parte siccum reperiretur, colligerem potius inibi contusam esse cutim, quam os fractum.

Quare vana sunt hæc experimenta; volui tamen ea in medium afferre, ne quicquam tractationi huic deesset.

Præfagia.

Cognita fractura in osse, quid tum vltro est agendum? dico, quod cum vulnera capitis, in quibus ossa patiuntur, sint periculosa, antequam vulnere manum apponatis semper præfagiendum est, quæ possint succedere: Nam vidi ego mira in his vulneribus & inter cætera vidi Florentiæ quendam, qui acceperat vulnus in capite & iam sanatus fuerat & quadragesimum præterierat diem, quod modo exierat, vulnere iam consolidato, & tamen concidit ruri mortuus ex illo vulnere. Vidi & alios mortuos vigesima quinta die, & multos alios casus, quos omitam: quare cauti estote in præfagiendo ea omnia, quæ possunt succedere, & antequam proferatis iudicium, ruminare prius omnia diligentissime, nec præfagiat, ut isti faciunt, omnia vulnera capitis esse lethalia, sed periculosa. Quando igitur videritis, os esse fractum vel sectum vel depressum, non dicatis semper vulnus esse mortale, sed periculosum, & periculosum non ratione solutionis continui, sed ratione eorum, quæ possent succedere. Nam si apertum sit vulnus, oportet os abraderi: hoc autem non potest fieri, nisi vulnus stet detectum; & ideo refrigerantur partes illæ, ex qua refrigeratione sequuntur postea multa incommoda. Si autem non abradas os, generatur sanies, quæ penetrans ad membranas interiores, sepe est causa mortis. Præterea in vulneribus, vbi os patitur, solet teste Hippocrate, ut plurimum succedere erysipelas, quod lethale frequentius esse solet. Quare cum videritis os esse fractum, pronunciate semper vulnus esse periculosum, non tamen semper mortale.

Quidam vulnus sit lethale.

Sed si prima aut secunda die videritis labra esse exilia & corpus cacochymum, & adesse vigiliis inrensissimas, ex his colligatis vulnus esse lethale: nam ut plurimum, cum hæc adfuerint solent vulnera esse lethalia. Addunt recentiores lotium turbulentum & pulsus immutatos. Ego autem obseruaui paruam immutationem vrinæ & pulsus fieri ex vulneribus capitis. Sed aliud obseruo & quidem magni momenti, & dignum certe scitu; licet excellentissimi Medici huius Gymnasii non credant esse verum, quod ego obseruaui & vobis referam, tamen Deus testis est an mentiar, nec ne; quod igitur obseruaui sæpe, est, quod in vulneribus capitis dies critici potius postponunt per vnâ diem, quam anticipent per vnâ horam; in aliis autem affectibus potius anticipant, quod etiam obseruo in inflammationibus capitis: nam in inflammationibus capitis, si crisis non fiat quarta die, fiet septima; & si non septima, adhuc non erit tutus, quia criticus dies postponit & ideo poterit fieri octaua. At in aliis partibus non ita: nam crisis si non fiat septima, eris tutus; at in vulneribus capitis non sumus tuti vsq; ad decimam quartam hyeme, & æstate vsq; ad vndecimam; in aliis autem morbis æstate crisis protrahitur vsq; ad septimam, hyeme autem vsque ad vndecimam; Et in vulneribus capitis vidi aliquot non esse mortuos vigesima die, sed vigesima prima aut 22. vnde colligo criticos dies in vulneribus capitis postponere, in aliis autem potius anticipare. Iam ergo habetis, quibus signis cognoscatur, an adfit ossis solutio, qualis sit, quanta, quo ve in loco, & quid præfagiendum sit in vulneribus capitis cum fractura:

Nunc

Nunc deueniendum est ad curationem, quæ habet eadem capita communia obseruanda, quæ & curatio aliorum affectuum, & primo illud, quod continet sub se res non naturales: quoniam licet ab extrinsecis non sumatur indicatio curatiua, tamen habent magnam vim immutandi ea, quæ intrinseca sunt. Inter res autem non naturales, primum, quod nobis occurrit agendum & obseruandum, est victus ratio, quæ debet institui primo statim ingressu, quando vulneris curatio suscipitur. Et licet de curatione victus non fuerim sollicitus in curatione simplicis vulneris capitis, tamen in vulneribus capitis magni est facienda, in vulneribus dico capitis, vbi os est vel fractum vel contusum.

Curatio.

Victus ergo debet esse tenuis, non tamen attenuans in qualitatibus, quoniam esset
10 calefaciens, & sic obesset, quia attenuando humores generaret plures spiritus & vapores, qui petentes caput excitarent inflammationem: debet igitur victus esse tenuis ita, ut æger parum comedat: & qualitas ciborum debet esse frigida, ne attollantur vapores ad caput & fiat inflammatio. Vnde omnes exhibent cibos simplicissimos, qualis est panis decoctus in simplici iure galli gallinacei iunioris & similia; comedat raro oua, raro carnem & similia in primis saltem diebus tribus, dum timor imminet de inflammatione; panis autem optime coctus & paratus exhibetur.

Vulneratio.

Vinum prorsus interdiciamus, quoniam vaporosum est & petens caput, etiam si esset ex genere vinorum frigidorum, quare ab ipso abstinendum, dummodo vires non obstant: nam si virtus debilis esset, tunc non sitis obstinati, ut quidam sunt, qui vinum prorsus
20 recusant & prohibent, imo necessario est dandum, ne vires concidant plane; sit tamen vinum austerum frigidumque, & statim post potum vini exhibeatis aliquid astringens, quod supprimat vapores vini, ne petant caput, cuiusmodi est saccharum rosaceum, diacitonite, conditum ex violis & similia, exhibeatur etiam aliqua potio mane & vesperi. In aurora autem exhibenda est aliqua illarum potionum quas syrupos vocamus, ut faciendum potionem ex syrupo rosaceo recenti, ex syrupo de rosis siccis, ex syrupo de endiuiâ & similibus refrigerantibus & roborantibus. Exhibemus etiam aliquando decoctum ex hordeo, endiuiâ & similibus. Et (ut vno verbo dicam) semper hic scopus ante oculos est habendus, ut prohibeamus generationem inflammationis.

Succedit iam motus & quies, in quo notate, quod motus partium internarum exter-
30 narumque, ut brachiorum & crurium conueniret: quoniam attraheret humores à capite ad partes inferiores; sed quia ex motu internarum partium agitantur spiritus superiores & calefiunt: idcirco in vulneribus capitis mandamus quietem: quiescat ergo in lecto, capite aequaliter erecto, & stratum sit molle, lumen in thalamo sit tantum, ut æger possit cernere & discernere eos, qui accedunt; & ita thalamus sit obscurus, non autem luminosus, quoniam lumen agit calefacitque spiritus, non tamen faciatis, ut æger maneat prorsus in obscuro cæcoque aere ut quidam faciunt, nam obest. Ad hoc facit & illud, quod non sit opus visitatione multorum nec longis sermonibus. Et abigantur animi molestiæ.

Motus & quies.

Ambientis maxima est habenda ratio, in quo tria sunt obseruanda, crassities scilicet ipsius
40 aeris, qualitas calida vel frigida, vel humida vel sicca; tertio malignitas, id est, quedam mala qualitas & contraria vulneribus capitis. Circa crassitiam autem debetis scire, quod aer crassus in vulneribus capitis semper sit bonus, quoniam non facile penetrat, & ita non communicat suam qualitatem frigidam vel calidam, si talis sit, partibus intrinsecis, ut membranis & cerebro. Et ideo videbitis, quod in ciuitatibus illis, vbi crassus est aer, vulnera capitis maxima cito & facile sanantur: & ego vidi certe miratum Pisis, tum Ferrariæ; Addatis & aerem Venetum: nam & Venetiis vidi sanari magna capitis vulnera, etiam si adhibitum fuerit purum oleum rosaceum à principio vsque ad finem, quæ curandi ratio, ut nostis, mala est. Curate igitur quantum fieri potest, ut aer sit crassus, quia tenuis facile penetrat & refrigerat partes internas. Vnde videbitis, quod in ci-
50 uitatibus illis, vbi aer subtilis est, sunt valde periculosa, etiam si superficialia sint, ut potuistis obseruare de aere Vicentino, Bononiense, Florentino, &c. in quibus locis vix pungitur os capitis, quod succedit mors, & ideo laudo, ut si quis esset in aere tenui, vehatur ad alium locum, vbi aer sit crassus, si non valde distet.

Ambiens.

Qualitas secundo loco valida vel frigida aeris est obseruanda, & præcipue frigida, quoniam Hippocrates scilicet. 5. aph. 18. inquit, frigus præcipue offendere cerebrum & facere inflammationes omnium illarum partium, quam sententiam confirmant omnes; Quod cum audierint Chirurgi isti, statim nulla adhibita nec norma nec diligentia in dignoscendo, qualis aer sit, calidus an frigidus, qualiscunque fuerit, applicant summe

calescentes pannos capiti & ita imponunt stupam, lintea, biretum ex pellicio & tot alla
 vt caput sudet: vnde non mirum, si sepe succedat inflammatio: & certe errant; nam
 deberent discurrere & inspicere, an aer calidus sit, nec ne: & si hyems esset & maximum
 frigus, dubio procul & nos solemus tenere ignem accensum in thalamo, vti carboni-
 bus, dum vulnus tractamus, vt calesciamus lintea & continuo superimponamus vul-
 neri, paramus tentoria (quæ padiglioni vulgo vocant) aliquando ex panno, aliquando
 duplicata apponimus & circumdamus lectum & agrum, ne frigidus aer ingrediatur, &
 multa alia facimus, quæ æstiuo tempore nullo modo conueniunt. Quare oportet digno-
 scere qualis sit aer. Solent præterea illi calescentiam testam capiti applicare & ita non so-
 lum inflammant caput ægri, verum etiam illius, qui testam in manu habet, & ideo nun-
 quam mihi placuit nec vnquam placebit vsus huiusmodi testæ, & nescio vnde habuerit
 ortum. Calefaciendum est itaque caput pro ratione ambiens magis vel minus calidi
 existentis. De inimicitia autem illa occulta, quam dicunt aerem habere cum vulneribus
 capitis, equidem nunquam credidi esse verum; & quando dicunt, quod aer, verbi gra-
 tia, Bononiensis sit inimicissimus, ego dico, quod si loquamur de illis, qui orti & educa-
 ti sunt in illo aere, me non videre, quomodo possit habere talem inimicitiam: nam &
 spiritus geniti & nutriti sunt ab illo aere; quomodo igitur aer, qui antea generauit & nu-
 trituit spiritus, verbi gratia, Socratis, est factus ipsi inimicus? Sed si quis altus sit in aere
 crasso & vulneretur, maneatque sub aere tenui, non dubium est, quod aer ille offendant,
 sed non ratione immutatæ naturæ, verum propter tenuitatem, nõ quod adsit natura ini-
 mica vulneribus capitis. At vultis scire, vbi nam sit inimicitia? sciat, quod sit in iis, qui
 medentur: nam ars hæc nunc exercetur tantum a nebulonibus, & pauci sunt qui eam
 calleant. At si vulnera sub aere etiam tenuissimo recte tractentur, profecto sanantur, &
 ego infinita experimenta iam vidi, & inter cætera vnum Florentiæ in quodam gerulo, qui
 ex scala admodum alta condescendit in caput, frægeratque totum fere os in sincipite, ita vt
 extraherem omnia fere ossa sincipitis, attamen sanauit ipsum existente etiã tempestate
 frigida.

Dico igitur, quod aer non habeat inimicitiam occultam cum vulneribus capitis; sed
 lædat sua tenuitate, si talis sit: tamen si sub aere etiam tenui vulnera capitis recte tracten-
 tur, sanantur, & non sunt omnia mortalia, seu periculosa, vt isti dicunt.

Somnus & vigilia. Somnus & vigilia moderata sint.

Passiones animi. Animi passionum magna quoque est habenda cura: vnde animaduertendum, quod se-
 pe accidat, vt sint alii ita temerarii, qui inimici quamuis sint ægris, tamen cum Medicis
 conclauæ ingrediuntur, vt insipienter vulnera, & maxime aliquando obeat: pauci igitur
 admittantur, & si sint amici, & qui possint delectare, non autem affligere animum ægri.

Vacuatio & repletio. Succedit iam vacuatio & repletio. Et notate, quod de euacuationibus lenibus, vt de cly-
 stere aliquo leni iniiciendo, si alius non sit lubrica, & consimili, nemo sit, qui dicat,
 quod nõ conueniant, sed his est de euacuatione magna, quæ duobus modis fit: vno quidem
 sectione venæ; altero per pharmacum purgans, de quibus duobus non est ita certum,

quid agendum sit. Dicunt tamen aliqui de venæ sectione, quod non conueniat in vul-
 neribus capitis, primo, quia intentio sit conglutinare vel carnem gignere: secundo, quia
 inquit Hippocrates, quod caput non facile corripitur inflammatione, quia cum sit in
 alto situm, non fluant facile ad ipsum humores. Sed dices; in vulneribus capitis sunt de-
 tegenda ossa, abradaenda, auferenda, abraedæ aliquando membranæ & similia agenda,
 quæ omnia non possunt fieri sine maximo dolore, ideo si adsit copia sanguinis, attraher-
 tur ratione doloris & sic fiet inflammatio. Dico ad hoc, quod si Chirurgus calleat artem
 sitque ingeniosus, omnia fiunt sine magno dolore, & ideo obiectio non cogit ad secan-
 dam venâ, etiam si vulnera capitis sint magnus morbus, vt ait Galen. *lib. 4. meth.* & magnus
 morbus indicet sectionem venæ: nam sectio venæ obestlet cõglutinationi & generationi carnis.
 Alii, qui praxin exercent, omnes secant venâ, nec ob id peccant, & si peccant, solum pec-
 cant, quia nesciunt, quid agunt, & stolidi etiam bene agunt, vt fertur: nam, licet secent
 venam, & sit bonum, tamen si petatis ab ipsis, cur id faciunt, & quare conferat venæ se-
 ctio, nesciunt respondere. Dico igitur, quod licet ratione affectus præsentis non sit se-
 canda vena, tamen esse secandam ratione successuri. Nam si aer sit frigidus, oportet vt
 calotificis, quæ faciunt ad attractionem. Præterea sepe oportet comprimere os, quod,
 licet non sentiat, tamen excitat dolorem in aliis partibus ita, vt impossibile fere sit tra-
 ctare vulnus, vbi patitur os, & facere, quin excitetur dolor, & ita tum ratione calesca-
 cientium, tum doloris, fieri facile potest inflammatio: & ideo ne succedat, secan-

da est vena : & quando aderit dolor, etiam si lenis sit, semper aperienda est vena.

Vena autem quæ secari debet, est cephalica vel communis, nigra ab istis appellata. Secanda igitur est vena, & hoc faciatis ad mentem Galeni, qui *lib. 2. de comp. med. per loc. cap. 1.* ^{que vna} ^{secanda.} aperte dicit, quod in vulneribus capitis secanda sit vena : & subiungit quod si virtus & ætas non consentiant, posse ipsam omitti, & substitui clysteres acres, & aliquando compressiones partium extremarum. Colligo igitur in omni vulnere capitis alicuius momenti venam esse secandam, non tamen statim in principio, sed prius lenita aluo, nisi adsit maximus dolor; nam in eo casu statim erit secanda: sed si hoc non sit, leniatis primo aluum cum clysteri aliquo leni, vel exhibeatis per os aliquod lenè medicamentum.

De quantitate autem sanguinis extrahenda considerate corpus & sanguinis abundantiam : & si adsit plethora, extrahatis multum sanguinis, si nulla, paucum.

At quando in vulneribus capitis non possumus secare venam aut propter ætatem, aut ob virtutem imbecilem, opus est humores retrahere, quod potest fieri clysteribus, vinctulis, scarificationibus, & similibus. Quæ quia aliquando sunt debilia, idcirco oportet venire ad exhibitionem pharmaci : in qua re lis est inter autores : nam quidam dicunt, nunquam in vulneribus capitis conuenire medicamentum purgans, & ideo ipsi nunquam exhibent. Mouentur autem autoritatibus & rationibus : & prima autoritas est Guidonis, qui fuit in re chirurgica veluti alter Hippocrates. Guido igitur monet in vulneribus capitis leniendam esse aluum cum clysteribus, non autem dicit, quod exhibendum sit medicamentum purgans. Quæ sententia postea est accepta & confirmata à Ioanne de Vigo & multis aliis. Secunda autoritas est Celsi qui *lib. 8. cap. 4.* loquens de curatione vulnerum capitis, nullam facit mentionem medicamenti purgantis, etiam si omnia alia, quæ ad curationem attinent proponat : signum est igitur, quod ipse non velit, vt exhibeatur solus medicamentum. Tertia est autoritas Galeni *lib. 2. de comp. med. per loc.* vbi tantum abest, vt proponat in vulneribus capitis medicamentum purgans exhibendum esse, vt potius vix mentionem faciat de leni clysteri. Ergo signum est, quod ex instituto omiserit purgans medicamentum : nam si vidisset ipse necessarium esse tale medicamentum, profecto non omisisset, quia fuit admodum diligens. Addunt rationes : nam purgans medicamentum non indicatur à vulnere capitis ; Ergo non est exhibendum. Secundo caput facile affligitur à malis medicamentis ; at medicamenta purgantia omnia habent aliquid mali in se. Et licet Hippocrates videatur concedere purgans in vulneribus capitis, tamen ipsi soluunt, quod homines illius temporis fuerint robustiores, quam corpora nostri temporis : vt etiam testatur Galenus. Nam ob desidiam & malam victus rationem corrumpitur robur in nostris corporibus. Licet igitur Hippocrates exhibuerit pharmaca, non ob id dicendum est, quod & nunc in vulneribus capitis sint exhibenda : quia corpora nunc non sunt ita robusta, vt antiquitus fuerunt. Et ita concludant, in vulneribus capitis nunquam exhibendum esse pharmacum.

Alii in oppositum semper exhibent & aliquando cum felici successu, aliquando non : & dicunt semper esse exhibendum, & primo autoritate Hippocratis, qui in vulneribus capitis exhibet medicamentum satis forte, quod educat bilem, quando scilicet est necessitas, & locus est in *lib. de vulnerib. capitis.* Præterea Paulus dicit exhibendum esse pharmacum ; idem & Auicenna *lib. 4.* vbi agit de fractura caluarie, exhibet enim medicamentum validum.

Nec valet oppositio Gentilis, qui dicit, quod Auicenna exhibet medicamentum, quod semel tantum purgat, non valet, inquam, quoniam Auicenna in alio loco, vbi agit de dolore capitis ex plaga, exhibet pilulas cochias, & siue sint Rhasis, siue Galeni, certum est, quod sint medicamentum validum, & purgant plus, quam vna vice tantum. Iacobus postea de Partibus optimus expositor Gentilis & alii etiam pilulas foetidæ, benedictæ & similia medicamenta exhibent. Et habet etiam hæc secta rationes pro se : Nam si cum vulnere adsit inflammatio, certum est, quod oporteat euacuare materiam biliosam ; quod si non possumus facere venæ sectione ob aliquod impedimentum, non est ob id relinquenda illa materia ; idcirco necessario indicatur exhibitio pharmaci : & quamuis medicamenta illa sint calida, tamen cum non remaneant in corpore, sed excernantur, non possunt admodum calefacere. Præterea maius est iuuamentum, quod insequitur ratione euacuationis, quam nocuumentum ratione calefactionis. Nec exhibemus purgantia medicamenta, inquiunt isti, vt agglutinetur vulnus gignaturque caro, sed vt prohibeatur inflammatio. Hæ sunt rationes & autoritates vtriusque sectæ, quæ dubiam reddunt exhibitionem pharmaci.

Sed solutio & explicatio huius difficultatis mihi videtur facilis, si rectam methodum sequi velimus; quæ methodus indicat, vt si cum vulnere sit coniunctus dolor, mitigemus ipsum, vel auferamus ipsius causam; si adsit intemperies, vt ipsam remoueamus: siq; cum intemperie sit materia, vt eam euacuemus: si aliquid os pungat membranam, vt illud auferamus: si os dimotum sit à sua sede, vt in pristinum locum redigamus; & indicat etiam, vt semper incumbamus illi, quod magis vrget. His stantibus dico, quod si inflammatio imminet, vel ex parte facta sit, opus esse materiam imminuere, vel saltem ipsam retrahere ad alias partes; siq; imminutio non posset fieri sectione venæ, nec clystere, cum clystres non possint id præstare, necesse est deuenire ad exhibitionem pharmaci, quoniam necessitas vrget. Dico igitur, quod si adest necessitas (quod cognoueritis ex propriis signis, nam videbitis materiam esse in motu & imminere inflammationem vel factam ex parte) adhibendum sit pharmacum: at si necessitas non vrgeat, non est exhibendum, quoniam medicamenta exagitant spiritus, & sic calefaciunt. Itaque non conuenit phar-maci exhibitio, nisi quando timemus aliquid superuenturum, & sic intellexerunt Paulus, Auicennas & Hippocrates.

Ad Galenum autem dico, quod fugerit sectionem venæ, quia virtus non constabat, & eadem de causa non dedit pharmacum, quoniam sicut in sectione venæ requiritur virtutis fortitudo, ita etiam in exhibitione pharmaci. Cum itaque videret se non posse nec hoc nec illud administrare, monuit, vt vteremur clystere. Ad Celsum q; attinet, ipse non tradit vniuersalem curationem vulnere capitis, sed manuale tantum, id est, quæ pertinet solum ad Chirur-gum. Quoties ergo videritis imminere inflammationem, vel aliqua ex parte esse factam in vulneribus capitis, semper exhibeatis pharmacum, sed eligatis quoad fieri potest, lenissima medicamenta, & fugiatis scammonium, colocynthidem & similia & vtamini vel manna vel tamarindis, vel floribus cassiæ, vel syrupo rosato laxatiuo, vel electuario lenitiuo & similibus; hæc enim euacuabunt bilem, cuius euacuatione maxime indigemus in vulneribus capitis & refrigerabunt. Quod si habueritis præ manibus corpus aliquod, in quo hæc medicamenta debilia sunt, poteritis ascendere vsq; ad electuarium de succo rosarum, diaprurum solutiuum, & si velitis, admisceatis aliquid rhabarbari. Hæc de purgatione.

Lenitio alui. Sed de lenitione alui quid dicendum? sequamini mores huius scholæ, vt statim leniatis aluum, quo euacuetur cruditates ventriculi ab intestinis, & à primis venis, ne ab illis excrementis attollatur vaporibus ad caput: vnde flores cassiæ mihi summe placet, quoniam habent ratione cuiusdam humiditatis vapores quosdam, q; ad caput elati possunt & somnū conciliare & feruorem capitis remittere, & hæc de sex rebus non naturalibus factis sunt.

Antequam autem imponatis medicamentum vulnere capitis, scire debetis, quod capitis vulnera quatuor modis soleant à Medicis tractari & curari: vnum genus Medicorum est, qui medentur pura aqua benedicta, vel oleo benedicto, vel puris linteolis benedictis. Alterū genus medetur solū per quosdam potiones per os assumptas absq; vsu alicuius medicamenti localis, sed solum supra vulnus imponit folium caulis, id est, brassicæ. Tertium est illorum, qui solum versantur circa localia cum quibusdam medicamentis preciosis, & nullā curam habent de vniuersalibus circa corpus ipsum totum administrandis. Quartum genus est illorum, qui methodo certa curant, & antiquos Medicos imitantur.

De iis, qui aqua vel oleo vel linteolis benedictis curant vulnera capitis, dixi supra, quod talis medendi ratio mihi semper fuerit suspecta, etiam si iam regiones integras hæc ratio medendi occupauerit, nā lōge plures sunt, q; interficiuntur, q̄ qui hoc modo sanantur.

Alii autem qui curant potionibus tantum, sunt genus Hebræorum; sunt enim quidam Medici & Chirurgi hebræi, qui in vulneribus capitis nihil aliud faciunt, quam quod potiones quasdam per os exhibeant singulo mane, & illas potiones seruat secretas, non tamen ita potuerunt ipsas tenere secretas, quin vna ex illis venerit ad nostras manus, quam volo vobis communicare, non quidem vt vtamini in vulneribus capitis, sed in fistulis illis difficillimis thoracis, quas fistulas vocant isti cassales, & reuera in illis fistulis optimum est medicamentum, Sed notate antequam vobis tradam descriptionem, quomodo ad nostras manus peruenerit. Illustrissimus Alphonsus dux Ferrariensis huius ducis pater passus est aliquando vulnus circa thoracem, ex quo successit fistula: vnde cum quidam hebræus Carpen-sis esset admodum peritus in sanandis huiusmodi fistulis, aduocatus est, cumq; venisset, dux noluit, vt alius, quam suus seplasiarius pararet medicamenta, vnde hebræus ille coactus fuit describere medicamentum seplasiario, à quo ego habui descriptionem, & est huiusmodi. *Recip. radicem albeæ, rubiæ tincto-*

Lenitio alui.

Capitis vulnere quatuor modis tractari à Medicis.

ram cum foliis, aristolochia rotunda cum foliis, gariophyllata, foliorum millefolii, marubii, artemisia, lapatii, pimpinella, fragaria, matricaria, matrisylue, betonica, salua, caulium rubcorum, cimmarum rubiana M. s. sarcocolle vnc. i. thuris masculi, seminum plantaginis, anisorum, feniculi ana cannabis, vnc. i. croci, rhabarbari, rhenpontici, id est, centaurii maioris ana drach. j. vini albi odorati lib. xv. optime comminuantur gladio & per 24. horas infundantur in vino, deinde bulliant ad consumptionem tertia partis & colentur, colatura addantur libra quatuor mellis, postea bulliant vnicabullitione, & despumetur colatura ipsa. postmodum auferatur ab igne & seruetur ad usum, huius colatura quotidie mane exhibeatur cyathus quing. vnciarum.

Et dicunt, quod exiccet vulnus, expellat os, si quid sit expellendum, gignit carnem & omnia prestat, quae desideramus in vulnere capitis. Equidem credo, quod medicamentum hoc possit multa in capitis vulneribus prestare, sed nimis tarde, vtruta in tertia vel quarta die medicamentum incipiet agere in vulnus: sed saepe ante quartam facta est inflammatio in vulnere capitis: & ideo oportet vti iis, quae antea id prohibebant. Quapropter ego non vterer huiusmodi medicamento in vulneribus capitis, sed vti que in fistulis illis thoracis malignis, exhibendo singulo mane cyathum vt dictum est & certe optimum est. In vulneribus autem ego ipso non sum usus, nec placet talis curatio, precipue cum nihil aliud imponatur, quam folium brassicae, quod folium nihil potest facere eorum, quae requiruntur, neque enim potest inflammationem prohibere nec os extrahere & similia: quate nullo modo mihi placet talis curandi ratio. Alii sunt, qui curant vulnera capitis solum cum localibus, & infundunt in vulnus medicamenta quaedam preciosa, quae tamen aliquid periculi in se habent, & talis curandi ratio approbata fuit a Theodorico & multis aliis, & inter ceteros fuit quidam magister Iuuenalis, quem secutus est magister Ioannes Baptista Romanus Chirurgus errabundus (conita in banco vulgo) qui vtebatur tali curandi ratione, & adhibebat quoddam suum medicamentum, quo lucratus est spatio quatuor annorum, quo tempore vagatus est per Italiam, incipiens a Pedemontana Regione, nam inde primum recessit, quando incepit mederi, & iuit m. d. d. Romam versus, & antequam Romam peruenisset, lucratus, vt dixi, est viginti millia aureorum, spatio quatuor annorum, nam in fine quarti anni peruenit Romam: medicamentum autem adhibebat ad omnia genera aegritudinum admiscendo & quaedam alia pro diuersitate aegritudinis, & illud medicamentum mihi videtur esse theriacam recentiorum: nam vt theriaca antiquorum faciebat ad omnes affectus, ita & medicamentum istius viri. Preterea sicut theriaca recipit alia medicamenta composita, ita & hoc recipit. Et tam feliciter Ioannes ille Baptista usus est illo medicamento, vt spatio quatuor aut quinque annorum lucratus sit, vt dixi, 20. aut 25. millia scutorum aureorum.

Atque ego alias, cum essem Iuuenis, usus sum illo medicamento, & satis felici cum successu: qua ratione autem ipsum postea omiserim, dicam infra: medicamentum autem est satis in magnum & non facile paratu, cuius descriptio haec est. *Rec. cariophyllorum, nucis moschatae, zinziberis, piperis nigri, piperis longi, corticum citri, corticum arantiorum, storum saluæ, basilici, roris marini, calamenti, sambuci, maiorana, menthe, pulegii, rosarum rubrarum, spicae nardi, baccharum iuniperi, lauri, cubebarum, ligni aloes, radicum gentianæ, ligni aloes, cardamomi viridisque, cinnamomi, calami aromatici, capitum stoechados, chamadrios, chamepyttis, nigelle, macis ana vnc. i. thuris, aloes hepaticæ, seminis anethi, artemisiae, moschi, ambræ ana drach. i. ficuum pinguium, passularum, pinorum mundatorum, amygdalarum ana vnc. iij. mellis albi lib. vi. sacchari electi maderiensis lib. x. primo tundantur arida & quae tundi possunt, rediganturque in puluerem, deinde tundantur pingua & omnia admisceantur cum mollibus, id est, cum saccharo & melle, & ita mixta relinquantur in vase vitreo in loco aliquo calido per sex vel septem dies, vt fermententur: facta fermentatione aduungatur xxiiij. librae aquae vitae, quae & aqua ardens dicitur, & simul omnia misceantur diligentissime, & quia massa magna est, ita vt non possit stare in vna alembico, ideo diuidatur in duas vel tres partes & in vasis vitreis positae distillentur in balneo Mariae, id est, in duplici vase: Et primum, quod extrahitur, est aereus quidam humor copiosus & veluti aqua & vocatur ab istis elixir: secundo egreditur quoddam humidum aqueum crassum & album, quod est veluti pituita, & phlegma vocatur ab ipsis, quo phlegmate non vtuntur ad sananda vulnera, sed ad lentigines faciei abstergendas, madefaciendo scil. isto humore crasso lentigines ipsas: & certe optimum est medicamentum non solum ad lentigines remouendas, verum etiam ad tollendas denigrationes illas faciei a sole relictas atque ad totam dealbandam purificandamque cutim: & praeter hoc, quod optime mundat cutim, est medicamentum optimi*

Medicamentum
Iohannis
Baptistae
Romani

& suauissimi odoris. Extracta pituita vel phlegmate vocato residet in fundo quid lutosi, quod magister Iuuenalis seruabat & exhibebat rusticis pro theriaca & dicebat, quod habeat easdem vires, quas & theriaca: sed ego, quando confeci medicamentum, proieci lutosam illam fecim. Ex destillatione igitur medicamenti primo habetur elixir, secundo pituitosa; vltimo feces lutosæ: sed ipsi solo elixir vtebantur in curandis vulneribus, non tamen ipso solo, at ex ipso & aliis faciebant mixtum quandam liquorum: nam miscebant matrem balsami cum elixir. Conficiebant autem matrem balsami, hoc modo: *Rec. serēbīnthīnæ optima, thuris albi, ligni aloes ana vnc. iij. mastiches, caryophyllorum, galangæ, cinnamomi, nucis muscæ, cubebæ, gummi elemi ana vnc. xij. terantur optime & cribrentur, quæ cribrari possunt, & simul mixta ponantur in vas vitreum & vas collocetur in locum aliquem calidum, vt fermententur, inibique relinquuntur septem aut octo dies, deinde ponatur vas iuxta cineres calidos, postea iuxta calidiores, donec totum illud humidum, quod inest, fuerit extractum, quod humidum vocatur mater balsami, & est, vt cyphi in theriaca. Vnde compositio medicamenti istorum videtur respondere ex toto compositioni theriacæ.*

Nec mirum vobis videatur quod in secundo medicamentorum iamiam descripto recipiantur multa ex iis, quæ recepta sunt etiam in priori, sicuti solet etiam fieri in theriaca & in compositis medicamentis, quæ theriacam ingrediuntur: nam medicamenta magna nullam in se rationem habent, sed prorsus empirica sunt, & experientia, non autem ratione confirmata: si enim rationem sequeremur, fat esset augere dosin vnus illius, quod in ambobus medicamentis recipitur, absque quo reciperetur ipsum bis. Sed redeamus ad rem. Accipiunt igitur deinde elixir & matrem balsami & ponunt in elambich & adacto igne colligunt quatuor; primum est aqua, quam vocant aquam balsami.

Secundum est oleum balsami ab ipsis vocatum, & est humiditas quædam oleaginea, quæ aquæ illi supernat.

Tertio aucto igne extrahunt substantiam quandam oleosam & nigram, quæ assimilatur naphthæ nigre, & hanc vocant verum balsamum.

Quartū est fex, quæ residet in fundo vasis & vocatur fex balsami. Oleo balsamo & balsamo ipso vtuntur ad affectus omnes neruorum & ad paralyfin & optimum sane est medicamentum. Aqua autem balsami vtuntur ad omnes affectus & ad vulnera capitis, & modus, quo vtuntur, talis est. Si sit vulnus, in quo sectum est os, aperiunt illud manibus tantum, non autem aliquo extrinseco, & affundunt copiosam aquam balsami: mox superinspergunt puluerem quandam, cuius descriptionem iamiam tradam, deinde superimponunt linteolum mundum, & iterum aquam affundunt supra linteolum nouosque pulueres superinspergunt, & aliud linteolū superimponunt & ligant vulnus & caput, & ita relinquunt vsque in tertiam diem; tertia die postea soluunt & leniter mundant vulnus gossypio, & nouam aquam & puluerem eodem modo affundunt & inspergunt, & illis diebus, quibus non detegunt vulnus semper madefaciunt linteola, facientes scilicet vt aqua concidat super ipsa. Et si quod os esset, quod loco dimoueretur, vel pungeret membranam vel in vulnere essent pili, vel aliquid tale, ipsi nihil auferunt, nihil agunt, quia dicunt, naturam stimulatam à tali aqua agere & expellere, quod expellendum sit.

Et instituunt plenum victum ita vt concedant bonum vinum, bonas carnes, fructus & reliqua, & volunt, vt aer sit apertus, ideoque mandant, vt conclauis fenestre stent aperta, nulla habita ratione aeris calidi aut frigidi, & volunt, vt æger ambulet per conclauem, si potest. Pulueris autem quem inspergunt, descriptio hæc est. *Rec. aloes lib. i. myrrhæ, thuris albi ana vnc. iij. terantur & fiat puluis.*

Sed notate, quod quando est secta dura mater & timent fluxum sanguinis, vtuntur solo puluere aloes simul cum aqua balsami. Si autem cerebrum non sit detectum & non secta membrana, vtuntur integro puluere ex tribus dictis medicamentis, & hoc modo procedunt & curant vulnera capitis cum felici fati successu.

Et isti, qui puris pharmacis & illis quidē nobilioribus curant vulnera capitis, accusant illos, qui secant cutim, abradunt ossa & similia agunt, quæ videntur ægros excruciare: & prima illorū ratio est, quod frustra fiat plura, quod fieri possit per pauciora: sed nostra medicamenta præstant omnia, quæ desiderantur, quia separatur os, extrahitur sanies & alia præstantur à nostris medicamentis, quæ requiruntur. Ergo frustra est vestra curatio & actio, quæ plura requirit instrumenta. Secundo dicunt, nostra medicamenta tanquam multarū facultatū & vniuersū extrahunt sanie, si sit genita, ex partibus etiā internis, ideo non est periculū, dicunt, quod

Mater balsami.

Puluis.

Rationes improbantur hoc medicamentum.

Ex retenta sanie fiat inflammatio, quare non est opus aperire os & extrahere sanie. Quod autem medicamenta attrahant, probant ex Galeno qui *lib. 1. de natur. facult. cap. 14* inquit, medicamenta aliqua attrahere aliquando fortius, quam manus. Et *lib. 11. meth. med.* medicamenta attrahentia trahere validius, quam cucurbitulas. Tertio dicunt, si ob id vos fecatis os in vulneribus capitis, quia timetis collectionem saniei, cur & in aliis fractis ossibus id etiam non facitis? nullus enim est, qui fracta costa fecerit cutim & carnem & os detegat, etiam si sanies possit generare empyema: fracto etiam osse coxendicis nullus est, qui aperiat & detegat os propter sanie. Ergo nec in capite istud faciendum erat. Ultimo est præceptum Hippocratis, inquit, ut blande omnia tractentur: vos tamen oppositum facitis, quia primo exhibetis lenitiuum medicamentum, deinde fecatis venâ, 10 insituitis victus rationem tenuem, excoaratis caput, separatis pericranium ab osse, abraditis os, secatis, & multa alia facitis quæ ægrum molestant & dolorem patiunt; ideo vestra curatio est mala & Hippocratis præcepto contraria, nostra vero amplectenda, quoniam nullâ affert ægro molestiam & est suavissimi odoris, ita ut locus, in quo æger decumbit, sapiat tale medicamentum, quod certe est suavissimum, ita ut ex sola detecta ampulla, in qua tale medicamentum asseruatur, aer repleatur tali odore.

Ego alias cum essem iunior, vsus aliquando sum, ut dixi, hac curandi ratione, & satis feliciter res successit, multaque medicamentum illud præstitit, non tamen ea omnia præstabat, quæ ipsi promittunt: Nam quando in vulnere est aliquod frustum ossis fracti, quod pungat membranam, vel quando adest inflammatio, tunc medicamentum malum est & nocet: sed si neutrum istorum adsit, optimum est. Sed dicetis, poterimus igitur isto medicamento uti in iis saltem vulneribus, in quibus absunt illa duo. dico verum esse, sed est alia difficultas, quod se ill. medicamentum non potest parari sine expensa quinquaginta scutorum aureorum: nō decet autē nos, ut decet errabundos hos nebulones, dicere, volo, ut mihi soluas tantum, si vis, ut te cure, & ob has causas ego dimisi vsutum huiusmodi medicamenti. His accedit, quod physici non approbant curationem cum tali genere auxilii, & ideo si voluissem hac ratione curandi uti, opus fuisset, quod aut ego lapsos, aut ipsi me exclusissent, nō sine artis ignominia; & propterea omisi penitus illam curandi rationem, ut etiam consulo vobis, ut omittatis.

Iam respondeamus rationibus adductis contra nos & contra veram curandi normam. *Responso.*
30 Ad primam igitur dico, falsum esse, quod curatio ipsorum faciat per pauciora; nam vitatur quantum voluerint illo suo medicamento, nunquam auferent frustum ossis, quod pungit membranam; nec reducent in proprium locum os depressum, & necesse tandem erit deuenire ad instrumenta ferrea, vel ad manum.

Ad secundam, quod medicamenta ipsorum attrahant sanie & quod dentur medicamenta attrahentia, teste Galeno, dico quod ex sententia Galeni *lib. 1. de natur. facult. cap. 16.* medicamenta attrahentia sint in duplici differentia; nam alia attrahunt à tota substantia, ut rhabarbarum bile & sic de aliis: alia attrahunt ratione caliditatis vel propter tenuitatem partium: tunc quæro ab ipsis, an illorum medicamentum attrahat sanie & ossa fracta tota sua substantia, an vero per caliditatem aut tenuitatem partium? si dicant, quod attrahat sanie ratione substantiæ & similitudinis cuiusdam occultæ, tunc sequetur, quod attrahat sanie & non os; nam non potest dici, quod medicamentum habeat duas substantias, vnam, qua assimilatur corpori duro, id est, ossi: alteram, qua saniei: si igitur nō attrahit os & sanie, necessario pro extrahendo altero ipsorum, deueniendum erit ad instrumenta. Nec possunt dicere, quod attrahat ratione caloris & tenuium partium: quoniam illa, quæ hoc modo dicuntur attrahere, non attrahunt, ut cucurbitula, sed est facultas partis, quæ expellit stimulara ab aliqua re: os autē per se non expellit: Ergo si quid sit ex osse extrahendum, necesse erit deuenire ad organa, quoniam medicamenta nihil faciunt, quia os non habet facultatem expellendi. Quod hoc sit verum, ex eo patet, quod 40 si insigatur aliquid carni, aliquando expellitur: ut si sagitta, verbi gratia, insigatur ossi, & non possit in manu & organis extrinsecis extrahi sine sectione ossis, nunquam visum est, quod opera medicamenti alicuius fuerit extracta, nec vnquam testabitur aliquis hoc accidisse: nam os cum non habeat facultatem expellendi, non potest medicamentum quicquam agere. Ad illud de costa fracta & de coxendice fracto dico, quod licet gignatur sanies in illis partibus, tamen non aperimus locum illum, quia cum locus sit in pectore calidissimus, si quid gignitur saniei, absumitur & discutitur à calore illo magno. Idem dico de coxendice; nam sanies inibi discutitur ob calorem abdominis & venarum & articularum, quæ magne & amplæ in illis locis sunt.

De sanie autem illa, quæ potest penetrare in cavitatem ossis, vbi est medulla, dico, quod

non cōcidat nec penetret in illam cavitatem, quia sanies, si qua gignitur, discutitur à calore carnis multæ, quæ est supra ossibus fæmorum & crurum. Præterea deligatio & fasciæ tundunt saniem vel ad superiora vel ad inferiora, & ideo non potest penetrare in cavitatem ossis.

De pietate autem & modestia illa, quam videntur ostendere, quando dicunt, quod non sint excrucianti aegri, sed blande omnia tractanda; dico, quod verum sit, sed relinquere hominem & permittere ut pereat, non est pietas, sed impietas; & ipsi, dum id dicunt, affectant potius benevolentiam vulgi, quam quod reuera pietate moti, eo modo, quo consueverunt, curent. Dico igitur, quod ubi blande omnia possunt tractari, impium esse aliter facere; sed si non possit aliter fieri, & si fiat, periculum sit de morte, tunc dico, q. magis impium sit, permittere, ut eger moriatur, quàm velle ossa abradere, secare & amputare aurem, si aliter fieri non possit. Vnde Hippocrates licet dixerit, quod omnia sint blande tractanda, tamen videmus, quod & ipse ascendat ad ignem, attamen nemo dicet, quod actio, quæ sit igne, sit blanda: nec ob id male fecit, quoniam aliter facere non potuit; & si aliter fecisset, periculum fuisset de vita & crudelis fuisset, si ita non fecisset, vitamq; servasset.

Omittamus igitur sententiam & curationem istorum, & sequamur illam, quam secutus est Hipp. & Gal. & omnes alii doctissimi Medici, qui monent, ut quando aliquis recipit ictum in capite, obseruemus, an cutis sit integra nec ne, an integrum pericranium, si cutis scissa sit, & an os sit fractum & detecta mēbrana: si os sit detectum & pariat, monet Hipp. ut statim vel oculis vel specillo inquiramus, an adsit fractura ossis, vel rima, vel sedes reli, vel scissio: hoc factò, cum opus forte sit abradere vel secare os vique ad membranam, requiritur, ut vulnus sit ita latum, ne inter agendum continuo ledantur labra vulneris: & ideo considerandum, an latitudo vulneris tanta sit, quanta requiritur, quod si non, oportet vulnus dilatare. Vnde monet Celsus, ut dilatemus vulnus duabus sectionibus per transversum, primo servata recta sectione, quæ est vulnus, deinde facta alia sectione per transversum in utroq; labro, ita ut scissio sit quadrangularis, & ut isti dicunt in cruce; & scissio debet peruenire ad os, inquit Celsus: Ego autem dico, quod non opus sit secare vtrumque labrum, sed sat esse secare vnum ita, ut fiat scissio triangularis, aliquando tamen requiritur scissio quadrangularis: si autem scissio longa, requiratur, satis est producere vulnus.

*Dilat. nulli
ossis vulnus
& quomodo.*

Dilatato vulnere, pro ut opus fuerit, monent, ut vnguib; aliove instrumento separemus pericranium ab osse, & hinc reprehendatis tonfores illos, qui statim secant pericranium ipsum: vos igitur cito & audacter disiungatis pericranium ab osse: hoc factò suppressimatis sanguinem, & modum docebo, si prius docuero quædam præcepta maximi momenti.

Primum est, quod nunquam vulnus sit dilatandum supra futura, etiam si vulnus supra futura fuerit: sed tunc dilatabitur parum supra vel parum infra futuram. Ratio autem cur non sit dilatandum supra futura, est, quia per futuras transit ligamentum ortum ab interna membrana, & ideo facile communicaretur affectio membranis. Igitur nunquam dilatetis vulnus supra futura, nec etiam in eo loco abradatis os.

*Præcepta.
1.*

Alterum præceptum est, quod nunquam vulnus sit dilatandum in temporibus, & in hoc vidi ego errare quosdam ex præstantioribus Chirurgis huius vrbs: nam nauta quidam receperat vulnus in tempore, & cum ob fractum os oporteret aperire vulnus, quod erat in medio musculo temporali, Chirurgus dilatabat vulnus, quod ego maxime mirabar, attamen nauta ille sanabatur, forte quia Deus voluit tegere errorem illius Chirurgi, ut sepe solet. Sed ego nunquam sum ausus, nec auderem dilatare vulnus, si esset in medio musculo temporali: & si offerretur mihi tale vulnus curandum, quod nondum oblatum est, etsi os inibi esset fractum, itaque opus dilatatione, tamen ego harerem maxime, nec probe scirem, quomodo extricarem me a tanta ambiguitate; quia non solum imminet periculum inflammationis & convulsionis, verum etiam presentaneæ & certæ mortis: sepe enim accidit, ut in manibus Chirurgi moriatur æger, & non dubitatis de hoc: ideo in huiusmodi vulneribus sum valde anceps. Aliquando mihi accidit vulnus in inferiori parte muscoli temporalis, & tunc dilatavi aliquantulum in vna parte, deinde expleui optime vulnus linamentis, & sic dilatatum est quantum opus fuerat; sed de vulnere in medio musculo existente ego nunquam auderem dilatare, etiam si sub ipso os esset fractum. Primum ergo præceptum perpetuo obseruandum est, quod nunquam sit dilatandum vulnus supra futura. Secundum est, quod non sit dilatandum in musculis temporalibus.

His

His addatis tertium, q. si vulnus sit in fronte & opus dilatazione, nunquam secandam esse cutim frontis per transfuersum, sed aut per longū à superiori ad inferius, vel per obliquum: nam si per latitudinem secatur cutis & musculus ille frontis, præter alia incōmoda sequitur etiam hoc, quod cutis & musculus semper labuntur deorsum & claudunt alterum vel ambos oculos, quod præter noxam, quam affert, turpem etiā reddit hominem.

Facta dilatazione sistendus est sanguis, vnde monet Celsus, vt expleamus vulnus linamentis madidis aceto, quod mihi nullo modo placet: Paulus autē vult, vt vtamur posca: Hippocrates vero linamentis siccis; & horum vtrumque conuenit; tamen nos cōsueuimus facere linamēta ex stupa & imbibimus albo oui: & si adsit dolor, albo oui cū luteo simul. Sed qua arte hoc est faciendum? dico, quod explendum sit ita vulnus, vt labra distent à seipsis, quantum fieri potest: nam non ob aliud dilatamus vulnus, nisi vt labra aperta maneant.

Repleto vulnere huiusmodi linamentis, imponenda sunt splenia imbibita albo oui vel medicamento Hipp. quod constat ex farina hordei & aceto, & est veluti polenta. Accipiat hordeum, torreatis & teratis vt fiat farina, & farinæ addatis acetum, vt fiat veluti polenta, & ita facto emplastro superimponatis vulnere iam linamentis repleto; estq; medicamentum preciosissimum: siccat enim, refrigerat & sistit sanguinem. Poteritis accipere etiam farinam hordei non tosti: at melior erit ex tosto: & hoc medicamento poteritis vti vsque ad quintam & septimam etiam diem. Et si volueritis simul cum farina & aceto admiscere portiunculam olei rosacei, vt respiciatis dolorem mihi non displicet.

Relinquatis ita plagam vsque ad alteram diem, non autem vsque ad tertiā, vt quidam inepti facere solent, nam firmato sanguine & dilatis labris, non est opus relinquere ibi amplius stupa, quæ aliquando valde molestę esse solent ægro: vnde si manie imposita stupa & ego crederē, quod sanguis fuisset firmatus & labra dilatata, profecto nō expectarem etiam vsq; in alteram diem, sed vesperi eiusdem diei vulnus detegerem & stupa illas auferrem.

Ablati linamentis leniter detergendum est vulnus gossypio, vel lana vel linamētis excerptis, quæ filacia appellantur vulgo. Vulnere deterfo obseruate, an adsit fractura vel rima, vel sedes teli, vel comminutio, vel ossis depressio, & qualis quantaque sit ossis affectio. Nec oportet statim aperire os: sed prius cōtemplari, an patiatur: & si patitur, quam affectionem & quantam patiatur.

Quod si non sitis resoluti, vt dicitur, an aperiendum sit os & detegenda membrana nec ne, & differendum sit tale iudicium vsque in alteram diem, non relinquatis vulnus multum detectum, ne refrigeretur, imo superponatis lintea calefacientia, deinde imponendum est aliquod medicamentum vsque in alteram diem; vnde Celsus consuevit applicare emplastrum philotete ab ipso vocatum vel emplastrum viride dissolutum aceto. Sed nullum istorum mihi placet, quia valida nimis sunt & recipiunt multa caustica medicamenta, quæ possent exurere. Sunt qui antequam decretum sit, an detegenda sit membrana nec ne, vtantur oleo rosaceo omphacino, & in ipso perseverant, donec ex signis appareat, quod sanies detineatur inter membranam & os: & isti maxime errant quoniam Hippocrates lib. de vulneribus inquit, quod vulnera capitis nullo humido sint madefacienda, vnde nec vinum approbat, etiam si siccat propter humiditatem. Vos igitur si esset dubium, an detegenda sit membrana nec ne & differenda actio vsque ad alteram diem, tegatis solum os linamentis siccis, & reliquum vulnus impleatis linamentis imbutis terebinthina, vel terebinthina & albo oui simul mixtis & partes cutaneas vulnere circumpositas inungatis oleo rosaceo. Sed caueatis, ne aliquid olei vulnus ingrediatur, & interim concludetur, an aperiendum sit os nec ne.

Sed vnde nam, dices accipiuntur indicationes, quando aperiendum sit os & quando non. In hoc reperio autores esse diuersos. Et primo Conciliator *differentia* 181. dicit, quod quando apertum est vulnus & os passum, tres sint occasiones, quæ indicant os esse aperiendum: quarum prima est, quando tu certo scis ex symptomatibus, quod materia aliqua sub osse contineatur; symptomata autem sunt delirium, inflammatio, pulsatio magna membranæ, calefactio magna, abalienatio mentis, sensuum deperditio, stupor, sopor & similia, quæ indicant vel materiam infra os contineri, saniosam & malam vel læsam esse membranam: & quando hæc signa vel aliquid ipsorum adest, indicatur aperiendū esse os, vt illud, quod intus continetur & obest, auferatur.

Secunda occasio est quando certo scimus, quod ex fractura vel rima, quæ est facta in osse prolapsus sit sanguis vel ichor intus ad membranam, & non possumus illum auferre, nisi os secemus.

Quomodo sistendus sanguis.

Medicamentum Hipp. ex farina hordei & aceto.

Indicationes quod os sit aperiendum.

Tertia est, quando ossis fractura est capillaris & admodum angusta, tamen fractum est usque ad membranam, & certi simus, quod materia aliqua intus continetur, tunc aperiendum est os, ut exitus materiz exhibeatur.

Alii vero dicunt, quod ob retentam & collectam intus materiam non aperiendum sit os, & quod duæ tantum sint occasiones & casus indicantes os esse aperiendum. Prima est, quando os ita fractum est, ut aliquod frustum pungat membranam. Secunda est, quando os est depressum & comprimit cerebrum facitque stuporem. Et huius opinionis fuit Lanfrancus, Nicolaus Florentinus, Genrilis & aliquot alii, & inquirunt quod si vulnus sit magnum, corpus robustum, virtus expultrix valida, & æger obediens, Medicusque doctus, nunquam detegendam esse membranam.

Sed isti errant, quoniam quotiescunque aliquid est sub osse, quod sit extrahendum & non possit aliter extrahi, semper aperiendum est os, siue illud, quod extrahendum est, sit fanies, siue quoduis aliud, & ita indicatio de aperiendo os ab illa re accipitur, quæ debet extrahi, siue rima ossis sit angusta, siue lata, dummodo id, quod intus est, nequeat alia ratione extrahi, quam ossis apertione, semper necessario aperiendum est os & detegenda membrana: Ea autem quæ non possunt extrahi, & tamen sunt extrahenda, sunt aliquando frustum teli, gladii, aliquando frustum lapidis: addatis frustula ossis fracti siue pungant siue non pungant: nam etiam si tunc temporis non pungant, possent, si casu membrana intumesceret, ipsam tunc pungere. Quotiescunque igitur aliquod istorum erit extrahendum, necessario aperiendum est os. Addatis quando os est depressum & comprimit, tunc enim aperiendum est, ut possimus subiicere instrumentum illud, quod leuatur, & os depressum attollere.

Ultimo aperiendū est, quando fanies defluit ad interna vel defluxa est, & non possumus ipsam detegere: tunc enim aperiendum est & detegenda membrana à fanie. Si igitur capitis corium sit vulneratum, pericranium sectum, os fractum vel contusum, vel frustum aliquod ossis pungat membranam, vel ossis pars depressa comprimatur eandem sine punctione, siue adsit rima, vel sedes teli, vel non adsit: & si fanies possit descendere ad membranam, semper aperiendum secandumque os, quemadmodum etiam, quando vel pars teli vel frustulum lapidis, vel quid simile est infixum, & nequit aliter extrahi, necessario est aperiendum os & dilatandum vulnus: dilatato vulnere, aperiendum est os.

Sed antequam ad hanc actionem deveniatis, debetis scire quod sæpe Medici decipiantur à fracturis, nam accidit aliquando, ut rima seu fractura in superficie externa sit valde lata, in imo aut sit angustissima: quandoque accidit oppositū: ut in parte interna sit lata, in superficie autem angusta: aliquando etiam accidit, ut fractura sit tantum in exteriori ossis lamina, non autem in inferiori & profunda, & tunc os non est aperiendum. Ut de ut certior fieret actio & cognoscere tur qualis esset fractura, an talis in profundo, qualis est in superficie, inuenere recentiores abrasionem. Vnde monent, ut antequam separemus os, ipsum abradamus, siue aderit fractura, siue rima, siue sedes teli, semper abradenda est rima ipsa, ut pateat qualis sit in profundo.

Itaque si hodie dilataueritis vulnus, cras cum accesseritis, detegatis vulnus, auferatisque linamenta, & antequam incipiatis abradere, capiatis linteola tenuissima & madefaciatis oleo rosaceo tepido, & vnum in vno labro vulneris, alterum in reliquo apponatis. Et hoc faciendum est duplici de causa: vna quidem est, ne exarescant labra recrudescantque humores, qui sunt in ipsis, & ita tarde postea agglutinentur & tarde gignatur caro, ut dubio procul accideret: altera est, ne refrigerentur nimium: his igitur de causis fouenda muniendaque sunt labra. Aliud quoque faciendum ante abrasionem, & est, quod oporteat accipere gossypium vel lanam madefactam oleo rosaceo & obturare aures ægri, & hoc faciendum est, ne sentiat strepitum, & stridorem illud, qui sit, dum os abraditur, quod licet non faciat dolorem, tamen solet ægro esse molestum.

Scalpi rasori duplices.

His factis abradendum est os scalpris rasoriis, qui duum sunt generum: aliquot vocantur recti, aliquot reflexi & curui. Recti appellati erant in vtu temporibus superioribus. videlicet, iam sunt duodecim aut quindecim anni, nunc autem sunt in vtu reflexi: Igitur vel illis, vel his vtamini: præstantiores tamen & tutiores sunt curui & rotundi vocati: neque enim, si cum his abradas, periculum est, ut pungatur membrana, vel illidatur, vel, ut inquirunt, aliquod aliud scandalū accidat. His igitur vtamini & abradatis eousque supra rimam quousque videbitur esse opportunum, & interim dum abraditis, madefaciatis sæpe scalprum oleo rosaceo ut melius currat.

Secundo, quia solet ex motu incallescere, ideo nisi madeficeret, posset calefacere os: eandem ob causam infundendū aliquando est aliquid olei rosati vel tepidi vel frigidi supra os, quod abraditur, ne videlicet feruorem attrahat.

Et quia

Et quia inter abradendum solet ichor quidam sanguineus emanare (eo, quod frangantur vel secentur venulae aliquot per os dispersae, qui ichor impedit actionem) ideo cum videritis talem ichorem, accipiat linamenta sicca vel gossypium, & ponatis in locum, unde ichor manat, & comprimatis os, ut exugatur ichor, qui emanauit, & ita possitis abradere: quod si hoc modo non sistatur, imponatis linamenta madida posca.

Firmato ichore persequamini abrasionem, & si inueneritis rimam latiore[m], quam esset in superficie, non abradatis amplius, sed sece[re]tis os & detegatis membranam.

Sed animaduertatis, quod saepe accidit, ut licet rima sit lata in superficie, tamen sit angusta in profundo. Vnde fit, ut inter abradendum amittatur rima; & ideo tunc non debes sequi abrasionem, sed cessare & accipere linamentum & madefacere in atramento antiquorum vel in nostro, vel in alio liquore nigro, & imponere supra rimam; deinde explendum est vulnus vel linamentis siccis vel terebinthina vel alio medicamento opportuno, & relinquendum ita usque ad sequentem diem, postea detegendum est vulnus & os: & si videritis lineam nigra[m], certi eritis, quod in ea parte sit rima, & ita incipietis abradere, & abradetis eousque, quousque apparebit rima & linea illa; sique rima deuenit solum usque ad meditullium, ibi terminabitis. Si vero penetraret in profundum alterius laminae, tunc si rima sit lata, omnes dicunt, quod secundu[m] sit os & detegenda membrana. At si rima fuerit angusta, sunt, qui dicant, quod pariter sit detegenda membrana. Ego autem in hoc non sum cum ipsis. O, dicunt, si tu non aperias os, sanies permeabit per rimam ad membranam, & non poterit detergi. Dico ego, quod sit falsum quod sanies penetret: nam periculum de penetratione saniei est ob meditullium, vbi propter venas, quae in ipso sunt, generatur sanies: at post factu[m] meditullio, quicquid saniei generabitur, extrahetur, & ita non sino, ut penetret per rimam, & praeterea medicamentis exiccantibus applicatis prohibeo generationem saniei. Dico itaque, quod si rima sit etiam in parte inferiori ossis, id est, in lamina extrinseca, dummodo sit angustissima, non esse secundu[m] os, & nisi urgeat aliquod periculum, nunquam esse detegendam membranam, quam natura ut optime tegeret, superinduxit os, pericranium & cutim; & ideo impium esset detegere partem illam ioco, quam natura voluit esse tam optime munitam. Quando igitur rima existens in interiori lamina est angustissima, non est aperiendum os nec detegenda membrana; sed si esset lata, & periculum instaret de descensu saniei vel aliquod frustum ossis pungeret membranam, vel os depressum comprimeret, tunc omnino est secandu[m] os.

Vnus autem scalprorum, modus, quo debeamus abradere, est, ut primo abradamus cum scalpro lato, deinde cum altero minus lato, postremo cum angustissimo, ut minima pars, quae fieri potest, membranae detegatur: & si per abrasionem collegeris, rimam esse angustissimam, imponendum est aliquod medicamentum, de quibus infra dicam.

At esto, quod oporteat aperire os & detegere membranam, quando, igitur est agendum? Omnes fere Chirurghi dicunt, quod non aperiendum sit os, nisi quando ex symptomatibus constabit, quod sanies sit prolapsa ad membranam, quae symptomata erunt, quod aeger incipit delirare vel obmutescere, denigrari os & similia. Sed ego cum his non consentio, quoniam occurrendum est inflammationi, & aliis incommodis antequam fiant. Paulus autem inquit, quod si hyems sit, sat esse aperire os ante 14. diem, aestate autem ante septimam: ratio est, quia aestate non succedit inflammatio, nisi in septima vel post septimam, hyeme autem prope decimam quartam vel post 14. & non explicauit Paulus determinate tempus: sed utique Hippocrates, qui monet, ut ante quartam semper, siue aestas siue hyems sit, aperiamus os, vel saltem ante septimam, & ita vel in secunda vel in tertia vel quinta vel in sexta die membrana erit detegenda, in quarta autem non, quia est dies indicatoria. Vult autem Hippocrates, ut aperiamus ante quartam, quia in quarta postea natura non habebit impedimentum, quo minus agat contra morbum; ergo nunquam excedatis septimam, & si fieri possit, potius ante quartam aperiatis. Sed si non aduocaremini ante septimam, sed post, quid agendum? Dico, quod si opus sit apertione ossis, aperiendum omnino esse ante decimam quartam & etiam post 14. esse aperiendum, si oportebit; sed raro oportet; & ita detergetis vel in octaua, vel in nona, vel in decima, vel in duodecima, vel in 13. vndecima & decima quarta semper omittantur.

Sed quomodo aperiendum est os, stante, quod necessario aperiendum sit? Tria sunt obseruanda. Et primum est, in qua parte detegenda membrana sit: secundum, quantum ossis sit auferendum; & tertium, quomodo. Quo ad primum, de loco, in quo aperiendum sit debetis scire, quod quaedam sint ossis capitis partes superiores, quaedam laterales, ut sunt circa tempora, circa frontem & occiput. Praeterea sciendum, quod in partibus laterali-
bus cerebrum magis promineat & protuberet. Vnde si apertum sit os in parte laterali,

cerebrum magis prominebit extra os, quā si perforatū esset os in parte superiori. Et ideo monet Galenus, vt quando volumus aperire os, semper aperiāmus in parte superiori vulneris, quoniam non ita prolabetur foras membrana & cerebrum. Semper igitur eligenda est pars superior, semper tamen habenda ratio exitus saniei; nam debet aperiri os in parte superiori, sed ita, vt sanies non retineatur intus; & hoc docet nos Galenus suo illo exemplo in 6. methodi vbi inquit, quod cuidam fracta fuerint ossa capitis in tempore, & se non secuisse ossa fracta, sed aperuisse os in parte superiori ita, vt foramen delineret in vulnus & sanies egrederetur vel extrahi posset. Igitur semper secundum est os in parte superiori, ita tamen, vt sanies possit extrahi. Secundo notandum, quod nunquam secundum sit os supra futura, quoniam laeceretur ligamentum illud, quod egreditur per futuras, & excitaretur maximus dolor, qui communicaretur membranæ & fieret inflammatio, sed semper sectio fiat prope futuram.

De quantitate autem ossis extrahenda & secanda, Hippocrates, Galenus, Paulus & omnes dicunt, quod tantum ossis sit extrahendum & secandum, quantum sat sit ad extractionem saniei & iniectionem medicamentorum: nam foramen debet esse ita latum, vt possimus detergere saniem & iniicere medicamenta; Vnde si vulnus & rima ossis esset longa quatuor digitos, non oporteret secare tantum ossis circumcirca, quanta est longitudo rimæ, nam esset maximum foramen: sed sufficit foramē tale ac tantum, vt possimus extrahere saniem & iniicere medicamenta, & ita in vulnere & rima ita longa sat erit aperire os in vno tantum loco.

Sed si plura essent ossa fracta, quæ loco diducerentur, vel magnum os esset fractum, sunt ne omnia ossa fracta, quæ loco dimouentur, auferēda? Galenus videtur dicere, quod totum os fractum, quod suo loco diducitur, sit auferendum: sed postea exemplum oppositum eius adfert; nam in eo, in quo ossa temporis erant fracta, ipse perforauit os in parte superiori, os dico, quod non dimouebatur loco, vt dimouebantur illa fracta. Et ideo dico, quod nisi aliquod os pungat membranam vel comprimatur, nunquam sit extrahendum et si loco dimoueretur & plura essent fracta: Sed sat est, vt extrahatur portio tanta, quanta requiritur ad foramen, per quod possit extrahi sanies & iniici medicamentum; nam natura ipsa per se postea expellet fracta ossa, quæ suo loco dimouentur. Ratio autem cur ossa fracta, etiam si loco dimoueantur, non sint auferenda, est, quia sunt proprium & naturale indumentum membranæ, quod indumentū, quoad fieri potest relinquendum est super partibus. Et in hoc errant valde maledicti illi tonfores, qui cum vident ossa fracta loco dimoueri, statim auferunt & gestant in charta inuoluta, & gloriantur passim, se extraxisse magna frustra ossis ex capite miseri ægri; & certe est maximus error.

Tertium considerandum & obseruandum circa remotionem ossis & detractionem membranæ erat modus. Dico igitur, quod soleamus multis modis, & illis quidem propositis ab antiquis, membranam detegere; primus modus est per abrasionem ossis; secundus per incisionem cum scalpris: tertius per sectionem cum serra: quartus per comminutionem cum forcipe. Instrumenta autem quibus vel per abrasionem vel per incisionem separamus os, & detegimus membranam, sunt scalpri, iique duum generum, aliud scilicet quo vtimur ad abrasionem, & vocatur *excisoria*, id est, excisorius. Sed primum dicamus de genere scalprorum excisoriorum. Itaque vnus scalper excisorius erat apud Antiquos, qui habebat aciem per rectam lineam, & vocabatur scalper excisorius rectus, & iam appellatur à Celfo. Alter excisorius scalper erat, qui *excisoria* vel *excisoria* à Celfo vocatur, & à nostris circularis, eo quod habeat figuram semicirculi. Tertius excisorius scalper erat, qui vocabatur *excisoria* id est lenticularis, vel lenticulatus. Sed vt omnia palā fiant, debetis, quod per scalprum rectum vel rectilineū nihil aliud intelligant, quā scalprum illum commune, quo vtuntur fabri lignarii, & qui lapides incidunt, & vulgo appellatur scalpeilo & habet aciem per lineam rectam, & ideo vocatur à Celfo & ab aliis scalper excisorius rectus. Hoc autem scalpro separabant os hoc modo. Primo faciebant aliquod foramen terebra in osse, & illi foramini applicabant scalprum, & malleolo ex plumbo, vel ex alia materia percutiebant scalprum, vt solent fabri isti lignarii, quando cum scalpro excauant vel secant lignum aliquod durum. Sed modus iste licet antiquorum sit, tamen non probatur à recentioribus, & mea sententia, iure optimo, quoniam, præterquam quod talis actio est periculosa, maximam etiam molestiam ægro affert, quia ex tali concussione excitatur magnus strepitus & stridor. hic erat primus scalper excisorius aptus potius ad secandas tabulas & lapides quam ossa capitis.

excisoria

Alter erat, quem vocabant *excisoria* id est circulem, quia habet figuram semicirculi,

culi, & hic triplex erat, vnus latus, alter angustus, tertius angustissimus: & angustissimum vocabant *μελας* vel *μελας*, eo, quod esset paruus veluti auriscalpium, id est, instrumentum, illud, quo scalpimus & forde mundamus aures. Omnes autem isti tres scalpri habebant vnā eandemq; figuram, nimirum semitundam & erant veluti semicanales: & his secabant hoc modo: Accipiebant vnum scalprum & aprabant vni parti ossis auferendi: alterum aprabat minister parti oppositæ & ex diametro alteri scalpro & malleolo contundeat vnum scalprum tantum: apponebant autem alterum scalprum in parte opposita vt resisteret ictui alterius, & ita minor fieret concussio. Et quia utebantur duobus scalpris eo modo, quo dixi, ideo vocabant scalpros excisorios oppositos, & scalpri isti antiquorum sunt illi communes apud nos, quibus vtuntur fabri isti ad excauandum lignum figura rotunda & sunt semicanales. Quando autem antiqui secabant os cum huiusmodi scalpris, seruabant hunc ordinem, vt prius vterentur lato, deinde angusto, postremo angustissimo: & apertio ossis cum his organis iam obsoleuit.

Tertium genus excisorii scalpri erat illius, qui vocabatur Græcis *φασίς* & *φάσις*; id est *Lenticularis*, & erat gladiolus veluti est gladiolus scriptorius, quo vtimur ad attemperandos calamos scriptorios; sed in summa acie habebat portiunculam ferri, quæ habebat figuram lenticulæ, vnde nomen accepit. Et facta erat ad hunc vsum, ne, quando utebantur tali gladiolo, pungeretur membrana, si casu manus labesceret. Scalper igitur iste erat gladiolus, qui secabat à lateribus & habebat veluti lenticulam in summo & erat in vfu ad æquandum foramen ossis & auferendas partes illas ossis inæquales circumquaque relictas & pungentes. Ex his autem tribus generibus excisorii scalpri tertium tantum lenticulare est nobis in vfu: & videbitis, quod omnes isti chirurgi gestent ipsum, sed potius vt appareant esse boni chirurgi, quam quod ipso vtantur: li autē qui præstantiores & doctiores sunt, gestant & vtuntur frequentissime: & reuera est organum, si quod aliud, præstantissimum, & ipso vtimur, quando iam separatam est frustum ossis & remanere circumfereca partes inæquales, vtimur, inquam, ad foramen illud æquandum.

Secundum genus scalprorum continebat rasorios scalpros, qui non describuntur, quod ego sciam, ab antiquis, sed nos habemus per manus traditos, & credo antiquos eos non descripsisse eo, quod essent per se manifesti ex organo illo, quo utebantur in balneis ad deradendam sordem & strigil vocatur. Scalper iste duplex, scalper scilicet rasorius rectus, rasoria recta ab ipsis vocatus vel raspatoria recta, & recta quidem eo, quod pars, qua abraditur recta est, & figura istius scalpri est similis figuræ ligonis, & hoc scalpro utebantur chirurgi superioris ætatis. Alter scalper est similis strigili antiquorum; est enim circularis in extremo habetq; duas acies, vnā in vna parte, & alteram in reliqua opposita: & est ac si tum acciperes folium gladioli, & flecteres ita, vt pars parti neceretur coniungeretur simul, præterquam in medio folii, vbi remaneat veluti circulus, qui habeat hinc inde aciem: talis est gladiolus reflexus, quo nos vtimur felicissimo cum successu & cito agimus: & quando vna acies obtusa est, inuertimus & vtimur alia, ita vt quilibet scalper ex his faciat pro duobus: hoc igitur & vos vtamini in abradendo: sed interim dum abraditis, madefaciat sepe aciem oleo vel lacte, vt minus obtundatur & minor fiat stridor, & ne acies incaleat & os calefaciat.

Utebantur antiqui & ferra in secando osse, sicut & nos vtimur: & ferra medica erat triplex: vna satis longa, qua utebantur in secandis ossibus per trāsuersum, vt quando certus aliquis est sphacelatus, & hæc non est opportuna in secando ossa capitis. Altera erat parua admodum, angustissima & breuissima, & vulgo vocatur bandiuola, eo quod sit similis paruo vexillo, id est, banderæ, vt ita dicam, & est dentata in summa superficie: vsum eius est ad secandum os inter duas rimas, vt si os haberet vnā rimam per rectam lineam in vna parte & alteram in opposita: hac ferrula secamus os in vna parte, deinde in altera, & postea os, quod quadratum in medio remanet sectum, auferimus; & hanc ferrulā credo non fuisse in vfu apud antiquos, præstantissima tamen est. Tercia ferra erat circularis & rotunda, & erat veluti frustum arūdinis vel fistulæ quod habebat circum dentatum in extrema superficie, & in medio fistulæ in parte dentata erat clauus excedens aliquantisper circum; qui clauus infigebatur ossi, ne interim, dum circumducitur, haberetur ferra ipsa & exiret limites, & cum aliquantulum sectum os & appropinquabat sectio membranæ vel auferebant clauum seu acum illam, vel utebantur alia ferra fœmina, id est, quæ non haberet in medio clauum, nam quæ habet clauum, vocatur mas. Serram hanc circulem, optime nobis describit Celsus *lib. 8. cap. 3.* vbi animaduertatis quod in eo loco vbi legitur, quod talis ferra, quæ ab eodem vocatur modiolus, habeat extremū *ferratum*,

legatis *ferrati*. Talis ferra à nostris vocatur vulgo molinello, aliquando trapano, aliquando nespola: & hinc proverbium illud vulgare, de dit sibi nespola. Serra hæc in vii apud nos est, & est variorum generum, ut vobis ostendā. Vtebantur antiqui & trapano illo, quo fabri isti, qui refarciunt testacea vasa, perforant testas, & ne perforarent membranam, addebant acui illi vel circulum vel alas, quarum alarum vel circuli ratione vocarunt tale organum immergibile. Sed obsolevit iam hoc organum in aperiendis ossibus capitis & quidem iure, quia periculosum admodum est.

*Velles.
Forcipes.*

Habebant antiqui & veteres, quibus eleuarent depressa ossa, & nos etiam habemus. Habebant & forcipes ad auferenda comminuta fractaque ossa, quibus nec nos caremus; & habemus forcipes excisorios & variorum generum, aliquos rectos, aliquos inflexos, aliquos angustos, quibus secamus aliquando fracta ossa, ut quando tenera sunt, quibus instrumentis antiqui carebant.

*Detecta membrana quid
ingendum.*

Ablato osse & detecta membrana, primum, quod Medicus agere debet, est, ut videat, quomodo membrana se habeat, an bene vel male, an secta sit vel cōtusa, aut aliud aliquid passa nec ne. Si ergo videritis, quod membrana pulset, dicatis secundum naturam se habere. Sed esto, quod nihil sit passa, quid tunc agendum? imponenda sunt quædam medicamenta, quæ duum generum sunt, sicut & bipartiti sunt auctores: nam Hippocrates præcipit, ut statim detecta membrana ipsaque nihil patiente, supra ipsam imponamus medicamentum, quod strenue siccet & detergat: & affert rationem, quoniam inquit, oportet prohibere saniei generationem & detergere membranam, ne putrescat, hebescat fiat, nam esset periculum de vita: Hæc est mens Hippocratis in libro de vulneribus, quam & Celsus lib. 3. cap. 4. explicat optime, & inquit, quod statim detecta membrana oporteat accipere spongiam madidam aceto & ipsam detergere: quo fiat, ut si sanguis flueret, sistatur, & si aderunt grumi sanguinis, remouebuntur, deinde vult, ut capiamus suum emplastrum viride cephalicum vel emplastrum philote vocatum, vel emplastrum Iudæi, de quibus agit in lib. 5. vult, inquam, ut capiamus aliquod ex dictis emplastis & dissoluamus aceto & madefactis linamentis imponamus membranæ; deinde mandat, ut accipiamus lanam succidam, imbuiamus aceto & supra linamenta ponamus, nam ratione mitigabitur, si aderit dolor aliquis: ratione autem aceti materia repellatur, ne fiat inflammatio, & ita vult ut procedamus, quousque erit generanda caro. Quare, ut videris, Celsus habuit eandem sententiam, quam & Hippocrates. quod detecta membrana applicanda sint siccantia & detergentia medicamenta. Addatis, quod & Meges Sidonius, qui fuit tantæ autoritatis, quantæ apud antiquos alius vniquam, eiusdem fuit opinionis. Præterea Galenus lib. 6. meth. cap. vlt. ex sententia Eudemi Pergameni videtur probare hanc curandi rationem: nam dicit, quod Eudemus suus conciuus statim detecta membrana imposuerit ism medicamentum, quod validissime siccet. Et Galenus laudat hanc curationem quia, inquit, membrana tolerat valida medicamenta, & dicit, quod alias ipse timuerat valida medicamenta in membrana illa cerebri, propter exquisitum sensum, quem habet. tamen cum viderim: inquit, quod & meatus auditorius ferat fortissima medicamenta, qui meatus desinit in membranam cerebri, non dubitavi uti validissimis etiam in membrana cerebri, nec mihi explicat, quodnam sit illud fortissimum medicamentum, quo in meatu auditorio utitur, sed lib. 9. de simpl. medic. facult. cap. de scoria ferri: illud nobis manifestat, & est, quod accipiebat scoriam ferri, & aceto abluerebat, deinde exurebat & admiscebat cum alio aliquo medicamento & ita utebatur. Itaque & autoritate Hippocratis & Celsi & Megetis doctissimi & autoritate etiam Maximi Galeni & Eudemi detecta membrana statim utendum est medicamentis valde siccantibus & detergentibus; addatis & experientiam; nam Galenus testatur, se vidisse Eudemum multos hac curandi ratione sanasse.

Alii autem sunt, qui prorsus ab hac curandi ratione abhorrent, & vtuntur altera, quæ fit per linientia & mitigantia, quale est oleum rosaceum. Vnde refert Galenus, quod quando Romam fuisset profectus, reperisse se omnes illos Medicos viuentes oleo rosaceo, vel sanguine columbino supra detectam membranam ad sedandum dolorem & prohibendam inflammationem, & inquit se infinitos vidisse sanatos, & in illis nihil mali successisse in quibus statim detecta membrana infusum fuerit oleum rosaceum vel sanguis columbinus; quare & hæc curandi ratio antiqua est & pro se experientiam habet. Addatis autoritatem Pauli, qui est veluti simia Græcorum, & inquit, quod detecta

detecta membrana statim infundendum sit oleum rosaceū tepidum, & cauendum ne membrana comprimatur.

Duplex itaque est curandi ratio, vna, quæ perficitur siccantibus, strenue & abstergentibus, & hæc indicatur à natura partis, id est, membrana, quæ sicut siccissima sua natura est, ita quoque indicat siccissima medicamēta. Altera vero est, quæ perficitur lenientibus, & mitigantibus, & hæc curatio indicatur non quidē à natura partis, sed, à superuenturis, vt ab inflammatione & reliquis, quæ succedere solent. Cū itaque vtraque curatio procedat per veram indicationem, credo, quod vtraque sit bona & quod vel hac vel illa possumus vti: sed sciat, quod quamuis membrana cerebri toleret robustissima medicamenta & acria, tamen non ob id argumētum Galeni de meatu auditorio satisfacit, quia est falsum, quod medicamentum infusum in meatum auditorium deueniat vsque ad membranam cerebri, sed deuenit tātum ad membranam, quæ facit tympanum, vbi sunt tria illa ossicula; extra autem tympanum est cauitas capacitatis fere vnus digiti: & ideo longe distat nervus auditorius & membrana cerebri à tympano, ad quod deuenit medicamentum: quod tympanum licet habeat maximum sensum, vt patet, quia percussum est in causa vt exciteretur tussis ob communicationem doloris, tamen non est conferendum cum nervo auditorio. Itaque non valet, *in meatu auditorio conueniunt robustissima medicamenta; ergo & in membrana cerebri.*

Attamen dico, quod si membrana ferat robusta medicamenta, possumus supra ipsam statim ponere medicamentum aliquod siccans. Vnde ego in primis illis annis, quibus cepi exercere artem, vsus sum aliquando lide non emplastro quidem, quia esset minus validum; sed cerato: nam admiscebam cum vnguento rosaceo, hocque modo mixtum facit etiam ad generationem carnis, & hoc video etiam fuisse obseruatum à Celso: nunc autem rarissime vtor tali medicamento in membrana ipsa, quoniam deuenio ad alteram curandi rationem per lenientia & mitigantia, qua curatione vtuntur etiā omnes alii Medici Itali doctiores. Ratio autem cur potius ratione per lenientia, quam per siccantia vtantur, est, quia membrana facillime inflammatur etiā si feruetur suis habitus siccus: & ideo ne succedat inflammatio & mors doctissimi Medici & Chirurgi vtuntur potius mitigantibus dolorem, quam siccantibus, quia siccantia non ita resistunt inflammationi. Vnde & ego non discedens à doctissimis illis Medicis potius eligam curationem per mitigantia, quam per siccantia.

Ad Hippocratem, qui dicit, quod oleum rosaceum sit in causa, vt membrana putrescat dico, quod sit verissimum, & fere semper, vbi cumque ego sum vsus oleo rosaceo, superficialis pars membranae & aliquando etiam tota illa pars est putrefacta. Sed tantum abest, vt cum hoc accidit, ego timeam, vt potius habeam pro indubitato fere indicio, quod ager sit euasurus, & quod non adsit periculum mortis: nam quando membrana putrescit & incipit male olere, est indicium, quod natura valida sit, & quod concoquat & tentet expulsionē illius partis: dico igitur verum esse, quod vt plurimum succedat ex vsu olei rosati putredo membranae, tamen nihil mali ex ea putredine vidi vnquam sequi, imo est indicium salutis, vt dixi, dummodo non sit denigrata, & de hoc non dubitatis, dicatis audacter, Fallopius dixit hoc, quoniam nō est veritas, & scio, quod non mētiar, & ex iis, in quibus ex vsu rosacei olei vidi putridā & fetentē esse factā mēbranā, nullū adhuc vidi mortuū, & vidistis etiā his diebus in nobilissimo illo iuvene Virato, quod vsi sumus statim detecta mēbrana oleo rosaceo, putrida est facta mēbrana, & tamen sanatus iam fere est. Idem credo vos obseruasse in altero, qui habitat prope columbinos. Cum itaque videā ex vsu olei non fieri inflammationem, sed potius prohiberi & ex putrefactione nihil mali sequi, videamque doctissimos omnes Medicos vt statim detecta mēbrana oleo rosaceo vel sanguine columborū, non possum & ego non eligere potius curandi rationē per hæc lenientia, quam per siccantia & eo magis, quia video Galenum testantem antiquos vsos fuisse tali curatione, & dixit se vidisse infinitos fere sanatos ex olei rosacei omphacini vsu. Et ideo ego statim detecta membrana, infundo oleum rosatum omphacinum completum sine sale cōfectum: omphacinum enim siccatur magis & magis etiā adstringit, & ita magis prohibet inflammationem, sed semper pro capite petatis oleum rosatum completum omphacinum, nam res est maximi momenti, & sit factum sine sale.

De sanguine autem columborū, quo vtantur antiqui, dico, quod sit præstans medicamentum, ego tamen semper libentius vtor oleo rosaceo, quam sanguine, præterquam in vno casu: quando scilicet membrana est integra, & sunt in ipsa grumi sanguinis aliquot, tunc infundo libentius sanguinem, quam oleum rosaceum: quia sanguis habet maiorem vim detergendi grumos illos. rosaceum autem oleum magis fordes

Sanguis columbinus.

aggregat: mel postea non congruit, quia acre est: si autem non sit opus detergere grumos, vtor libētius oleo. Sed controuersia est de sanguine inter antiquos: nam aliqui volebant sanguinem ex pullis columbinis iuuenibus, aliis placebat ex adultis, alii eligebant ex teneris pennis alarum extractum, alii ex secta vena columbi. Ego autem dico, quod quando non est opus magna deterfione, accipiendus sit sanguis fluens ex secta vena per tranuerfum sub ala: si autem volo magis detergere, vtor sanguine pennarum, quia est tenuior & magis abstergit: extrahio pennas illas iuuenes columbi iuuenis, & comprimo pennas super membranam: at si opus esset multo sanguine, non oportet expectare sanguinem pennarum. nam longus tempus requiritur antequam copiosus acquiratur, & interim refrigeratur vulnus, & ideo in eo casu secō venā sub ala columbi adulti, & facio, vt sanguis decidat supra membranam. Colligo igitur q̄ vtrāq; curandi ratio sit recta, tamen tuior illa, quæ sit per lenitionem doloris, nec timenda est putrefactio membranæ, dummodo non fiat nigra.

Igitur statim detecta membrana infundatis oleum rosaceum, & ita cum oleo procedatis vsque ad quartam diem. Paulus tamen dicit solum vsque ad tertiam, sed tutius est videre, quid faciat dies quarta. Itaque detecta membrana statim infundatis oleum rosaceum purum calidum, deinde madefaciatis lintecolum ex serico chermesino, vel filamenta ex eodem serico in eodem oleo & expleatis totum vulnus, vel loco olei infundatis sanguinem columbi. Idem & secūda die facietis & exterius circa vulnus imponetis emplastrum Hippocratis ex farina hordei, oleo rosaceo & posca. Tertia die oleo rosaceo addetis portionem syrupi rosacei, vt aliquid detergat, quoniam in tertia die membranæ aliqua portio incipit concoqui, & corrumpi & ideo opus est aliqua deterfione. Igitur accipietis tertiam partem syrupi & duas olei rosacei & infundatis supra membranā, & linamentis madidis eodem medicamento expleatis totum vulnus circumquaque, postea applicetis emplastrum dictū. Transacta quarta die si videritis, quod gignatur pus & superficies membranæ incipiat fieri alba & corumpi, accipietis oleum abietinum rosaceum & syrupum rosaceum, & simul mixtis vtamini modo dicto, vel loco olei abietini accipietis terebinthinam resinam & misceatis cum aliis & ita habebitis medicamentū, quod detergit concoquitque moderate & cum hoc procedatis vsque ad septimam. Cum deuenieritis vsque ad septimam, quia præterea omnis fere occasio inflammationis (taro enim accidit, vt post septimam succedat inflammatio nisi fiat ob negligentiam medici) quia inquam periculum inflammationis præterit, redeundū est ad curationē indicatā à natura membranæ & ossis, videlicet per siccantia; valde tamen siccantibus non est statim vtendum, quia esset transitus ab extremo ad extremum, scilicet à leniente medicamento ad strenue siccans, & ideo non vtamini statim emplastro Isidis, sed conficiatis medicamentum moderate siccans ex terebinthina, aloe & farina orobi dulcis, addito melle rosaceo vel syrupo rosaceo, & supra os postea inspergatis pulueres capitales. Et si mollis habitus sit vt puerulorum, vtamini supra membrana aliquo leni medicamento quale est vnguentum de marchasita, vel de gummielemi dissolutum cum cerato mastichino. Cum his ergo detergatis membranam & expectetis generationem carnis. Sed si videritis, quod membrana minetur putredinem & velit separari, infundatis supra ipsam duas vel tres guttas mellis rosacei puri, deinde superimponatis diapalma dissolutum cum oleo maltichino, vel vnguentum de betonica cum eodem dissolutum, & expectetis desquamationem ossis.

Curatio per siccantia.

Pulueres siccantes.

Sed si velletis vti altero modo curandi, qui sit per siccantia, oportet deuenire ad medicamenta cephalica arida, quæ sunt duum generum; alia scilicet sub forma pulueris, alia sub forma emplastri & actualis humiditatis: nam per hanc vocem *arida* intelligimus vtriusque generis medicamenta. Verum quia præceptum fuit Hippocratis, quod in vulnerib. capitis fugienda sit quæcūq; humiditas: ideo ego libētius vterer, quæ sunt sub forma pulueris, quā quæ sunt sub forma emplastri. Arida autem medicamēta puluerulēta varia proponuntur à Galeno, & primum puluis iridis, erui amari, nō autem dulcis, manna thuris, aristolochia longa & rotunda in puluerem redacta, panacis radix. Aetius & ipse lib. 14. cap. 45. recenset multa alia vt aristolochiam tenuem, & est illa aristolochia longa communis, & quæ etiam longa dicitur in officinis, & est etiam tenuis Andromachi, squamma zoris præparata, radix bryoniæ albæ, silphii radix, pumex vstus & lapis specularis vstus, qui lapis vocatur in officinis alumen scariolæ & vulgo speculum alini, estque species gypsi: hæc est materia aridorum, quæ in puluerem redacta possunt inspergi supra membranam detectam & ossa, vt eorum natura conseruetur.

Materia

Materia autem emplastica est primo *Isis*, emplastrum *philote*, *Iudæi*, & viride *Cel-*
si: & multa alia poteritis videre apud autores. Et quia non omnes habitus eadem requi-
 runt medicamenta; ideo distinxī ego medicamenta hæc arida in tres ordines: & primus
 ordo erit pro vulneribus capitis cum detectione membranæ in habitibus mollioribus: se-
 cundus pro mediocribus; tertius pro robustissimis. In primo ergo gradu est medicamen-
 tum *Isis*, non autem emplastrum, quia nimis siccat; at intelligo de emplastro *Isidis* tem-
 perato & in vnguentum redactō: capiatis ergo vnam partem emplastri *Isidis* & duas vn-
 guenti rosati, misceatis & opportunum erit medicamentū: poteritis accipere modo pau-
 loplus vnus, modo alterius, pro vt habitus erit magis vel minus mollis. Sed quomodo di-
 10 ceteret aliquis imponendum est hoc medicamentum supra membranam? Aliqui istorum
 solent extendere medicamenta supra linamenta excerpta, quæ filamenta vel filacia vo-
 cantur, & linamenta illa ponunt supra membranam. Alii non accipiunt filamenta illa sic-
 ca ex panno lino, sed accipiunt sindonem, id est, telam ex serico, & non ex quocunque
 serico, sed ex illo tantum, quod est infectum cocco, id est, grana, chermesin vocat vulgo,
 & supra telam hanc extendunt medicamentum: & ratio, cur potius telam ex serico, quam
 ex alia materia accipiant est, quia Medicorum sententia est, q̄ quando est detecta mem-
 brana cerebri, studendum sit, quoad fieri possit, vt non comprimamus membranā; & id-
 eo tela ex serico optime satisfacit, quia rigida aliquantulum est, & quodammodo sese sus-
 20 tinet: Addatis quod sericum sit materia valde sicca, quæ diu putredini resistit. Volunt
 postea, quod sit grana tincta, quoniam talis color habet vim siccandi, & ideo laudo ego
 summopere telam vel filamenta ex materia sericina coloris iam dicti, quoniam præter-
 quam quod non comprimit membranam, habet etiam vim aliquam siccandi, tum ratio-
 ne naturæ propriæ, tum etiam coloris; & ita ratione siccitatis prohibetur inflammatio, quia
 & membrana & os conseruatur in propria natura.

Emplastica
siccantia.Quomodo
medicamen-
tum sit impo-
nendum.

Et quia incidi in sermonem de cōpressionē membranæ, quæ est fugienda, ideo an-
 tequam ulterius procedam, velim, vt notetis, quod quandoque magna quantitas membra-
 næ detegatur, & ideo medicamentum superimposita necessario comprimūt. Vnde quidam,
 vt hoc euitent, solent accipere frustum cucurbitæ exsiccatæ, & aptant supra membranam
 detectam, ita vt à lateribus hæreat ossi, & in medio sui sit totum foratum, & foramen sit æ-
 30 quale foramini ossis & membranæ detectæ, & ita supra cucurbitam ponunt medicamen-
 tum. Sed hoc mihi non placet, etiam si cucurbitæ frustum sit leue, nō placet, inquam, quo-
 niam est materia putrescibilis. Et ab isto vsu cucurbitæ ortum habuit vulgaris illa opinio,
 quod aliqui habeant frustum cucurbitæ loco ossis in capite, taleque caput vocant cucur-
 bitinum. Sed si talis materia in capite relinqueretur & vulnus obduceretur cicatrice, pro-
 fecto cito putresceret: placet igitur, vt t̄t̄amur, ne medicamentum comprimat membra-
 nam non cucurbita, sed lamina subtilissima ex auro vel saltē argento, sed ex auro est me-
 lior, quæ lamina debet esse perforata, vt medicamenta ad membranam possint deuenire
 & sanies extrahi, & debet incumbere lateribus ossis: & reuera huiusmodi lamina est
 necessaria, vbi magna quantitas membranæ est detecta.

Ne membra-
na compri-
matur.

40 Igitur vt ad rem redeam, in pueris & aliis habitibus mollioribus ponatis supra dete-
 ctam membranam *Isim* paratū eo modo, quo dixi, extensum supra pannum ex serico, de-
 inde supra os & telam etiam inspergatis puluerem, de quo modo dicam, postea expletis
 totum vulnus linamentis oblinitis eodem medicamento, scilicet *Iside* parato cum cera-
 to rosaceo, vt dixi. puluis autem spergendus est talis: *Accipiat̄is eruum amarum, mannam thbu-
 ris, peucedanum, radicem iridis & redigatis in puluerem tenuissimum.*

Puluis.

Si autem volueritis medicamenta validiora, eo, quod habitus sit robustior, vtamini
 iis, quæ sunt secundi gradus, cuiusmodi est *Isis* medicamentum paratum pariter cum ce-
 rato rosaceo, sed accipiēdo maiorem partem *Isidis* & minorem rosacei, quam supra acci-
 piebamus, vt accipiēdo vnam partem *Isidis* & alteram cerati rosacei, ita vt æquali pon-
 50 dere assumantur; & vtamini eodem medicamento, quo dictum est extenso supra telam
 sericam, & postea superinspergatis puluerem robustiorem; vt *Rec. puluerem aristolochie ro-
 tundæ, aristolochie tenuis, iridis, bryonia alba, bryonia nigra ana partes æquales, cui adde portione
 pulueris radicis ari.* & totum postea vulnus eodem medicamento expleas, videlicet ex *Iside*
 & rosato parato æquali pondere.

Puluis roba-
stior.

Si autem habitus sit robustissimus, vt rusticus & senilis, vtamini iis, quæ sunt in tertio
 ordine. & ita supra membranam imponatis purum *Isim*, vel viride, vel *philote*, vel *Iudæi*
 emplastrum, & superinspergatis deinde hunc puluerem: *Rec. pulu. aristologie rotundæ, iridis,
 bryonia, squammæ aris, pumicis vsti, lapidis specularis vsti ana partes æquales,* & a principio vsque
 ad finem vtamini hac eadem curatione.

*Si membrana
non aperta
fuerit
aut cito
gravior
sanguis
nisi.*

Sed si aperto osse reperiatur membrana nihil passa, referta tamen grumis sanguineis, quid agendum? Illi, qui utuntur curatione per viam siccantem, statim infundunt supra membranam acetum vel oxymel purum, vel mel purum, quia hæc valde detergit & siccant autem, qui utuntur curatione blandiente, primo tetamus leniter, an gossypio polysinus grumos illos auferre; quod si possumus, persistimus: si non possumus hoc modo, devenimus ad medicamenta, & primo affundimus sanguinem ex vena columbi adulti, vel ex penis iuuenis & hoc prima die & secunda: utuntur ad eandem intentionem syrupo rosato simul cum sanguine & in hoc etiam persistimus tertia die & quarta; quinta autem die infundimus parum mellis rosacei, aliquando purum, aliquando simul cum sanguine & admiscemus parum olei abietini cum aqua betonica: sexta die, si grumi his non cedant, utuntur resina abietina & oxymelite simul mixtis. 10

De vulnere capitis cum denigratione membranarum cerebri.

CAPVT XVI.

*Membrana
fieri nigra
propter duas
causas.*

Cæterum quandoque membrana, quando apertum est os, inuenitur nigra, & non habet grumos nec aliud: & in hoc casu nihil dicunt autores, quid sit agendum. Sciatis igitur, quod membrana fiat nigra duabus de causis: aut ex transfuso sanguine per sui substantiam, qui sanguine ipsam denigrauit: aut fit nigra, quia est refrigerata propter confusionem aut aliam ob causam. Tunc Paulus inquit, quod quando inuenimus membranam nigram, debeamus experiri, an denigrata sit ratione transfusi sanguinis per sui substantiam aut propter refrigerationem. Ad hoc autem experiendum vult, ut accipiamus mel crudum simul cum oleo rosaceo, & plus mellis quam olei & infundamus: accipit autem mel, ut detergat, oleum vero ut obtundat mellis acredinem: & si videritis, quod ex infusione huius medicamenti prima & secunda die non auferatur ille color, habeatis pro certo, quod membrana non sit nigra per transfusionem sanguinis, sed per refrigerationem: nam quando est per transfusionem sanguinis, octo vel decem horis remouetur color ille niger: si ergo color ille non perduret, indicium certum est, quod membrana sit facta nigra ob refrigerationem, & in hoc casu nihil dicunt autores, quid sit agendum. Ego autem statim soleo uti calefacientibus, & ita, si æger sit puer, oleum extractum per alembicum ex resina terebinthina abluta, quod oleum in officinis vocatur resina abietina. Et est oleum, quod maxime penetrat & est suavissimum; volo autem ut resina, antequam ponatur in celambich, abluatur, ne postea oleum mordicet, & hoc facio in habitibus mollioribus. Si autem æger sit adultus & durioris habitus, curo ut vi ignis extrahatur oleum ex terebinthina, & ipsum infundo in membranam & hoc modo res mihi aliquoties feliciter successit, aliquando non; quoties quando membrana est denigrata ex refrigeratione, solet sæpe succedere mors; & his utor usque ad septimam, imo usque ad separationem membranae denigratae: nam separatur pars illa tota & aliquando succedit sanitas, aliquando mors. 30

De vulnere capitis cum inflammatione membranarum cerebri.

CAPVT XVII.

*Signa membranae
inflammatae.*

Accidit sæpe, ut membrana inflammetur, aut quia est refrigerata, vel quia cõtusa, vel quia puncta, vel ex alia occasione, & ideo oportet videre, quid in hoc casu sit agendum. Oportet ergo primo cognoscere, quando supervenerit inflammatio. Cognoscetis autem membranam inflammatam esse vel incipere inflammari ex propriis notis; quarum prima est, quod incipiet turgere, nec in suo loco poterit manere, sed exit extra cavitatem ossis, & aliquando ita intumescit, ut non solum os, sed etiam labra vulneris excedat; aderit dolor in ea parte; pulsatio membranae penitus erit abolita; æger incipiet delirare, & maxime aliquando delirare: aderit sensus vehementissimi caloris, qui calor percipitur ab ægro in parte illa læsa: hæc signa cum aderunt, non est dubitandum, quod adsit incipiens inflammatio, vel magna ex parte sit facta. 50

Curatio.

Hoc cognito, cum iam facta fuerit vena, lenita aluus, instituta recta victus ratio quid erit agendum? profecto est versandum circa vulnus: unde Celsus monet, ut imponamus lenticulam & intelligatis de lenticula palustris, quæ refrigerat repellitque materiam & impedit inflammationem: vel dicit imponenda esse folia vitis viridia & recentia teneraque. Sed quomodo hæc sunt imponenda? capiatis butyrum vel axungiam anseris recentem & dulcem & cum foliis lenticulae vel vitis faciatis emplastrum & imponatis.

Græci autem aliter tractant inflammationem; nam utuntur oleo rosaceo, ut videre est apud

est apud Galenum *lib. 2. de med. compos. sec. loc.* vbi ex autoritate Apollonii, Archigenis & sua etiam affundit oleum rosaceum (nam habet aliquam vim mitigandi dolorem, astringit & repellit) & eodem etiam oleo fouet locum. Affundatis igitur oleum tepidū, deinde accepta spongia madida eodem oleo & expressa apponatur tepida loco & foueatur mēbrana: sed sit rosatum completum factum ex oliis maturis, & oleum sit ablutum, antequam fiat rosaceum, id est, antequam in ipsum ponatur rosa. Et hic volo omnino admonere & obsecrare vos, iuuenes optimi, vt quando eritis in vestris ciuitatibus, faciatis, vt vestri seplasiarii abluant optime aqua pura oleum illud, ex quo volunt facere oleum rosaceum, deinde cum ablutum fuerit, affundant rosas & faciant oleum rosaceum completū, vt fieri solent: ar habeatis in memoria, vt oleū sit antea ablutum: nam oleum rosaceum completum factum ex oleo prius abluto optime, est ita præstans in vulnerib. capitis, vt nihil præstantius reperiri possit: & hoc vtuntur Græci & nos in inflammatione membranæ, infundendo ipsum & fouendo locum cum spongia madida eodem: & in hoc persistatis prima atq; altera die, deinde foueatis locum cum spongia madida decocto ex althea, semine lini, fenugreci & chamomelo, & hoc vti poteritis etiam si membrana sit tumidissima. Postea expleatis vulnus emplastro facto ex farina hordei, & farina seminum lini æquali pondere accepta farina ipsa & faciatis emplastrum cum decocto iam dicto. Et hoc emplastrum iam iam conuenit: nam concoquit, mitigat dolorem & refrigerat, vel loco huius emplastri vtamini terebinthina optime abluta cum aqua malua, sed aqua sit extracta per clamabich: vel vtamini oleo abietino, quod vocant resinam abietinam in officinis admixto luteo oui: nam & hoc concoquit, dolorem lenit, & moderate refrigerat: & si volueritis, vt magis concoquat, admisceatis parum olei rosacei & croci.

De vulnere capitis cum abscessu tunicarum cerebri. CAPVT XVIII.

SED si in membrana post inflammationem fiat abscessus, vt solet sæpe accidere, est ne sapiendus abscessus per sectionem membranæ? Equidem nunquam hucusque habui hunc casum, ita, vt indicaretur sectio. Vidi quidem bis vel ter collectam sanie in membrana & factum abscessum, sed per se esse disruptum & egressam sanie. Tamen, si talis casus mihi occurreret, secarem omnino & statim, quoniam mora sanie in membrana est periculosa: nec expectarem, vt per se disrumperetur abscessus, quoniam posset disrumpi in parte interna, & tota sanies fluere ad cerebrum. Autores de hac re nihil proferunt, tamen, vt dixi, ego cum primum viderem abscessum concoctum, secarem in parte superiori. Sed dices, si tu perforaueris membranam, fiet conuulsio ob maximū sensum, quo prædita est. Dico quod in abscessib. sit sanies, ex qua eleuatur cōtinuo vapor quidem malus & quasi venenatus, qui obtundit & quasi aufert sensum mēbranæ. Quod hoc sit verum, patet experientia. Nam sæpe aduocatus sum ego ad secandos abscessus in variis locis, & obseruaui, quod quando feco abscessum, æger nullum vel paruū inibi dolorem sentit. Sed si altera die accedo illamque cutim tango, acutissimus excitatur dolor; quod non alia ratione fit, nisi quia antea, cum adesset sanies, vapor ex ea eleuatus, obtundebat sensum cutis illius abscessus; at sanie extracta, remanet pars illa priuata illis vaporibus. Licet igitur ex punctura membranæ cerebri excitetur maximus dolor & conuulsio, tamen quando est abscessus in ipsa, non est de hoc timendum, quia sensus est imminutus a vapore illo venenato, & ideo auderem aperire, & eo magis, quia video antiquos in hypopio secare tunicas oculorum. Quando enim sanies colligitur in oculo infra corneam, solent antiqui pro extrahenda sanie illa corneam secare, quod & Arabes confirmant, & tamen illa tunica habet sensum acutissimum: ideo ego auderem secare aperireve abscessum in tunica cerebri. Post apertionem factam per se in membrana, vel ferro, infunderem aliquid, quod detergeret & moderate siccaret, vt aliquod ex iis, quæ dixi imponenda supra mēbranam dum integra est: vnum tamen præter illa maxime mihi in hoc casu placeret, quia magis quam illa dicta detergit & separat partes corruptas catnemque gignit, & est farcocolla cum lacte parata & inspersa, deinde poteritis imponere ea, quæ valde siccant, vt emplastrum Isis.

De vulnere capitis cum sectione membranarum cerebri.

CAPVT XIX.

SI autem vulnerata esset membrana superior vel vtraq; quid agendū? Dicit Galenus, quod indicetur agglutinatio; attamē non possumus glutinationi incumbere, quia ne-

*Que medica-
menta impo-
nenda.*

cessitas vrget, vt mitigemus dolorem: raro enim accidit, vt secta membrana nō adit dolor magnus & inflammatio, ad quam solet vt plurimum indubitata fere mors succedere. Quid in hoc casu antiquiores illi, vt Hippocrates, Meges & Eudemus faciant, nō habeo peripetum. Galenus tamen *lib. 2. de comp. medic. per loca*, dicit, quod Archigenes imponat succum calamenthi, & inspergat fatinam mihi admixtam cum axungia vetusta. Ex quo colligo imponenda esse medicamenta, quæ moderate siccent, leniant, & moderate refrigerent: & ita medicamentum ab Archigene propositum mihi videtur opportunum, sicut & Galeno visum est. Sed si non possitis habere hoc medicamentum, vt si hyems esset, & non possitis habere succum calamenthi, non est ob id relinquendus locus sine medicamento. Si igitur non possitis tale medicamentum habere, vel si haberetis nec tamen 10 velletis vri, quia videretur vobis nimis calidum, confugiendum est ad alia. Sed primo oportet videre, an adsit fluxio sanguinis, nam sepe accidit, vt detecta membrana reperitur vel secta, vel fracta & dilacerata, & reperitur, quod sanguis copiosus effluit, aut quia vas aliquod sit vulneratum vel laceratum, aut quia sinus aliquis membranæ sit disruptus. Quando igitur ablato osse videritis sanguinem effluere, statim cohibeatis ipsum medicamento Galeni, quod constat aloë, thurè, albo oui & pilis leporinis. Accipimus aloë & thus & miscemus cum albo oui & maceramus simul, vt fiat medicamentum quod habeat mellis consistentiam, deinde addimus pilos leporinos & simul miscemus. Et notate, quod quamuis ego in aliis vulneribus magnis pro sistendo sanguine soleam loco pilorum leporis vt gossypio, tamen quando volo cohibere sanguinem fluentem ex membra 10 nis cerebri, libentius vtor leporinis pilis, quoniam habent satis magnam vim siccandi & sunt etiam mollissimi, quæ mollities est maxime affectanda in huiusmodi partibus: & ideo moneo vos, vt in vulneribus membranarum cerebri semper cum medicamento illo admisceatis pilos leporinos potius, quam cotonem: in aliis autem poteritis cotonem vri. Dioscorides, & qui eum secuti sunt, omnes pro sistendo sanguine fluente ex tunicis cerebri imponunt stibium, id est, antimonium: sed ego hoc semper fugio, fugiamque talia medicamenta metallica, quia semper mali aliquid in se habent et si ipsa abluas, non ita postea cohibent sanguinem. Itaque ego semper vtor medicamento Galeni. Firmato sanguine si opus fuerit, vel si non effluat, statim detecta membrana etiam si vulnerata vel lacerata sit, infundo oleū rosaceum purum, vel admisceo syrupum rosaceum, vel infundo 30 mel, sicubi facio quando non est secta vel lacerata membrana. Ii autem qui vtuntur curatione siccante, infundunt insperguntq; ea, quæ strenue siccant.

De vulnere cerebri. CAPVT XX.

Sed aliquando accidit, vt non solum dura mollisq; membrana verum & cerebrum ipsum sit vulneratum, & tunc non est vilo modo vtendum illa ratione curandi, quæ sit siccantibus, quoniam non datur indicatio siccandi, nisi moderate: nam pars læsa, id est, cerebrum frigidum & humidum est, ideo si debet conseruari in propria natura, non eget strenue siccantibus. Et ideo in hoc casu non laudo emplastrum Iſidis nec preparatū cum 40 cerato, nec emplastra illa cephalica: nam licet cerebrum possit tolerare talia medicamenta fortia, tamen mala sunt, quia non conseruant suam naturam, & ideo detestor talia medicamēta, etiam si conueniant ratione membranæ. Cerebro ergo vulnerato ego soleo vri oleo rosaceo. Sed notate vnum, quod Ferrariæ vidi. Solent illi chirurgi præstantiores in vulneribus vti quidem oleo rosato, sed admiscunt portionem boli orientalis, & vidi quod res felicissime successerit; vnde & ego motus experientia & autoritate ipsorum impono micam boli orientalis ad impediendam inflammationem, ad leniendum dolorem & leniter siccandum. Soleo etiam primis diebus infundere oleum illud extractum ex resina abietina: nam leniter siccat; & si timeo ipsius caliditatem, attempero cum oleo rosaceo: & si æger sit puer, capio resinam abietinam, & abluo primo optime posca, deinde aqua 50 communi & ablutam ita pono in vas illud vitreum, quod vocatur tetorta & extraho oleum, quod infundo; & optimum certe est medicamentum.

De vulnere capitis cum cerebri extuberantia.

CAPVT XXI.

Accidit quoque aliquando, vt cerebrum valde intumescat & promineat extra cauitatem & excedat foramen factum in osse, & generat interdum quoddam excrementum, quod

tum, quod refert naturam fungi, estque simile illi recocto, quod Italice vocatur puina vel recotta, in quo excremento debetis esse diligentissimi, & non facere, vt quidam istorum faciunt, qui statim, cum tale excrementum vident, dicunt illud esse cerebrum & ipsum auferunt; vnde postea iactant se extraxisse magnam cerebri quantitatem, & aliquando etiam non dignoscetes excrementum à cerebro secant; & extrahunt cerebri portionem. Vos autem non sic faciatis, sed antequam quicquam agatis, oportet, vt dignoscatis excrementum illud à cerebro. Dignoscetis autem ex his, quia excrementum non ita hæret, vt gossypio non possit extrahi facillime, cerebrum autem etiam si pro-

10 mincat extra ossa, tamen quia hæret venis & aliis partibus, non cedit gossypio. Præterea excrementum positum in aqua dissoluitur, cerebri autem substantia minime, sed compacta manet. Si igitur cognoueritis, quod illud, quod prominet, sit excrementum, infundatis oleum rosaceum vel syrupum rosaceum vel aliquid mellis rosacei, & ita abstergetis excrementum illud & gossypio & supra specillo.

Sed si illud, quod prominet, sit cerebrum, quid agendum? Sunt, qui secant totam illam partem egressam è cavitare ossis; Ego autem nunquam secui, nec feco adhuc, sed semper relinquo inibi, donec vel per se pars illa concidat, vel in cavitatem propriam retrocedat; capio tamen linteolum molle admodum & formo ex ipso veluti annulum; quo amplector totam illam cerebri partem; prius tamen madefacio annulum seu circulum oleo rosaceo: amplector autem & munio cerebri illam partem hoc circulo, ne prolatur in hanc vel illam partem & laceretur, & vidi totam illam partem cerebri obductam esse carne, quæ licet alba esset & videretur corrupta, tamen nunquam volui eam auferre, & tandem pars illa cerebri retrocessit in propriam suam sedem & æger fuit sanatus. Nec dubitandum est, quod pars cerebri aliquando maxima egrediat ex proprio loco, & extuberet ita vt excedat non solum os, verum etiam aliquando labra vulneris, superstitite tamen vita. Nam vidi ego tres, vel quatuor vel paulo plures, ex quo exereco hanc artem (& sunt iam decem anni vel duodecim) in quibus magna pars cerebri extuberabat, & tamen aliqui superuixere vsque ad nonagesimam diem: aliqui mortui sunt in 12. aliqui in 60. & duos adhuc nescio, qui superuixunt. Itaque quantumcunque extuberet cerebrum & sit extra cavitatem, nunquam auferatis, sed relinquantis

30 hoc munus nature; vos autem munitis ipsum eò modo, quo dixi.

Sed si pars illa, quæ prominet foras, fuerit denigrata, tunc si possit auferri sine fluxione sanguinis, esset auferenda, sed tutius est eam inibi relinquere & permittere, vt natura ipsam separet & expellat. Quod si in parte illa extra prominente abundet sanies, infundendum est decoctum altheæ, fœnigræci & feminum lini: sed melius est infundere copiosum lac muliebrem, vt tota illa pars abluatur; & certe nihil est lacte præstantius in hoc casu. Et hæc de vulneribus capitis, in quibus vulneratur cutis vna cum aliis partibus, sint factis.

De vulneribus faciei. CAPVT XXII.

40 **F**aciem quæ affligunt vulnera, iam sequuntur, in qua re primum scire debetis, quod per faciem duo intelligamus; primo quidem illud, quod *ὄψων* græce dicitur, & est totum illud quod conspicuum est, constans fronte, oculis, naribus, genis & reliquis partibus. Secundo facies significat aggregatum ex omnibus dictis partibus, exceptis oculis & naribus: & in hoc significato accipitur facies à Chirurgis, quando agunt de vulneribus faciei, intelligentes de vulneribus menti, buccæ & reliquarum partium, quæ conspicuæ sunt, excepto naso & oculis, & ita per faciem intelligunt quicquid est infra supercilium vtrumque; & vtrumque tempus, exceptis illis duabus partibus, naso scilicet & oculis. Et in hoc etiam significato accipiemus nos in præsentia faciem & agemus de ipsius vulneribus, quæ periculosa non sunt, inquitur Chirurgi recentiores, vt Ioannes de Vigo, quod ego non concedo, nam aliquando sunt periculosa admodum & mortem afferunt; raro tamè hoc accidit, sed crebrius contingit, vt turpi obducantur cicatrice, quæ deturpat valde faciem, partem totius corporis pulchriorem, & ideo requirunt maximam diligentiam Medici curantis.

Sed antequam deueniatis ad curationem, opus est scire, quod vulnera faciei non sunt vnius generis; sed alia caua & lata admodum cum deperditione substantiæ carnosæ, & hæc sunt magni momenti: Alia sunt, in quibus frustra ossis sunt comminuta & amputata, alia, in quibus vulnerata est caro & os fractum & sectum; attamen nec caro nec os resectum & amputatum: Alia sunt leuia & curatu. facilia, in quibus nihil est passum, sed sola caro est secta sine aut cum contusione: hæcque magna sunt vel parua.

*Qualis futu-
ra sit cicatrix.*

Et hæc omnia diligentissime sunt obseruanda, ut sciat, quid sit prædicendū de tēpore sanitatis ac de iis, quæ ad cicatricem attinent: Nam de cicatrice ægri ita sunt solliciti, ut nullies in die interrogent, qualis & quanta sit futura cicatrix. Et ideo oportet optime, antequam quicquam prædicatis, distinguere vulnera: Si enim sit cum ablatione carnis & ossis, cicatrix necessario erit caua, ut testatur Hippocrates *sect. 6. aphor. 45*. Et ideo quotiescunq; videritis partem aliquam amputatam, vel aliquid ossis esse imminutum, dicatis, quod cicatrix necessario sit futura profunda. Idem quoque pronuncietis, quando vulnus est cum ossis moto ex suo loco, quod os non potuit restitui.

Præterea animaduertendū & diligenter considerandum, quo nam instrumento illatum sit vulnus, an videlicet organo aliquo rubigine fuligineve aut re simili obducto, nam colorem illum cicatrix semper referuabit, ut manifestum est de iis, qui vulnerati sunt ex disruptione organi illius, q. vulgo sclopetū dicitur vel idiomate Italico archibulo: Accidit enim aliquando ut tale organum scindatur & vulneret hominem in facie vel alia in parte, & quia puluis ille adigitur labris vulneris, idcirco ut plurimum cicatrix remanet nigra, nisi puluis ille optime detergatur. Et hinc reprehendatis Chirurgos illos, qui ob sistendum sanguinem vulneris solent aliquando accipere cotoneum, id est, gossypium & comburere & ita combustum imponere, ex quo fit, ut cicatrix nigra remaneat, ut æger videatur non tantum ab hoste vulneratus, sed etiam, quod peius est, videtur, quod tanquā fur vel barbarus & Turca aliquis fuerit iniustus & sigillatus. Reliqua autem vulnera quali acunq; illa fuerint, si recte curentur, non habebunt cicatricem aut cauam, aut denigratam ac turpem.

His consideratis, si vulnus sit vel in mala vel in mento vel in alia faciei parte, oportet primo sanguinem sistere infusa copiosa posca, diligenter opus est auferre, quicquid in vulnere ipso præter naturam continetur, siue illud sit pilus barbæ, siue vitri fragmenta, ut sæpe solet accidere mulieribus illis, quæ percutiuntur phiala vitrea stercore repleta: tunc enim fit, ut facies vulneretur pluribus in partibus, & ubi infixæ sunt frustra vitri, nisi auferantur, solent simul cum carne agglutinari, quod non accidit cum aliis rebus ex toto præter naturam; unde fit, ut conglutinato vulnere vitrum relictum semper pungat, & necesse sit locum tandem aperire. Et non solum vitrum agglutinatur in facie, verum etiam in oculo, non dico in superficie, sed in profundo etiam, ut ego semel vidi in muliere quadam huius ciuitatis, quæ fuerat percussa phiala vitrea, & fistulum vitri erat infixum in parte intima oculi, & tandem sanata est, nullaque noxa relicta, præterquam quod cernit omnia obiecta duplicata magnitudine.

Quæ in vulneribus faciei consideranda.

Itaque firmato sanguine oportet extrahere quicquid præter naturam in vulnere continetur. Quo facto videndum est quousq; sectio perueniat, & si perueniat ad os, oportet videre an os patiat, & si patitur, an sit sectum tantum & dilatatum, an vero fracta & separatam ab alio osse, & an hæreat parti alicui. Quod si separatam sit, hæreat tamen carni aut perioestio, solent Chirurgi recentiores statim adacto forcipe amputare separatæque ipsum à parte, cui hæret, & maxime errant, quoniam efficiunt vulnus cauum, & cicatrix postea necessario caua remanet, ut testatur Hippocrates *sect. 6. aph. 45*. Quare si videritis, quod ossis pars sit separata ab alio osse, dummodo hæreat carni, tunc comprimatis valde, reponatisque ipsam in propriam sedem; nam ita os agglutinabitur subiecto ossi per succrescentem callum aut carnem.

Error Chirurgorum recentiorū.

Quod hoc sit verum, patet, quia sæpe franguntur ossa crurium farinæ modo, inquit Hippocrates, id est, in plures partes, tamen videmus, quod omnes illæ partes agglutinantur simul medio callo osseo succrescente. Idem quoq; fit in vulneribus faciei, quod ego sæpe vidi. Quod si os esset comminutum & non hæreret nec perioestio, nec carni, tunc auferendum est.

Labra vulnerum faciei quomodo amanda.

Hoc facto recentiores dicunt labra vulneris esse vnienda cum fasciis, id est, deligationibus. Ego autē dico, quod talis tractatio sit inutilis, quoniam facies est ex illis partibus, quæ non possunt vni ligaturis. Guido vult, ut vniamus labra eum linteolis & glutine illo; sed & hæc ratio inutilis est & non commoda, quoniam vniuntur tantum partes extrinsecæ, profundæ autem non. Præterea longum requiritur tempus antequam labra vniantur hoc instrumento; nam oportet primo conficere gluten & linteola, deinde applicare & permittere, ut gluten sicetur, ea propter nec hanc rationem vniendi labra probo. Nihil melius est, quam ut consuatis. Recentiores autem quo ad modum consuendi, dicunt, & est Guido, quod non eodem modo consuenda sint vulnera faciei, quando sunt in parte sicca, & in parte mobili, & quando

in

in immobiliſſimo dicit, quod ſi vulnus ſit in parte ſicca, vt circa tempora vel in alia parte excarni, conſuendum eo modo eſſe, quo conſuuntur ſacci, ſiue, vt eius verbis vtat, vtendum eſt futura pellipariorū: ſi in parte immobili & fixa, vt in mento, per fibulās, quæ puncta vocantur: Si autem in parte mobili, vt circa genam & buccam, quæ partes ſunt mobiles, quia extenduntur inflata bucca, vult, vt conſuamus cum acubus traiectis ſcilicet per vtrumq; labram tribus vel quatuor & obuoluto filo circum vnamquamque. Sed ex his conſuendi modis nullum alium probo, præterquam illum, qui ſit per puncta, qui conſuendi modus conuenit, vbiunq; fuerit vulnus, ſiue in parte faciei carnoſa aut excarni, & ſiue in mobili ſiue in immobili. At diceret aliquis vos timentis ſummo pere cicatricem in
 10 vulnerebus faciei & tamen non videtis, quod ex tali conſuendi modo cicatrix reddatur valde turpis, quoniam filum illud facit alias cicatrices præter illam vulneris. Reſpondeo quod fibulæ illæ, ſi diligenter appoſitæ faciunt, non reddant turpem cicatricem.

Apponentur autem diligenter fibulæ, ſi obſeruentur iſta quatuor, ſcilicet ſpatium inter fibulas, ſpatium labri vulneris, profunditas & tempus, quo fibulas relinquimus in loco, quoniam fibulæ in tertia aut quarta die poſſunt auferri, & interim poſt tertiã vel quartam poſſumus apponere lintecola & glutinū illud, vt conſeruentur labra vnita. Conſuatis igitur omnia vulnera faciei & modus conſuendi ſit per fibulas. Verum in contuſione, vt dixi, obſeruandum eſt ſpatium, neque enim obſeruandum eſt, vt Romæ chirurgū quendam feciſſe vidi, qui conſuit vulnus cuidam Prelato prope aurem circa vericem & acuo
 20 occupauit ſpatium fere quatuor digitorum, ita vt futura peruenerit fere vſque ad dimidium ceruicis, quod mihi videbatur mirum. Itaque obſeruetis ſpatium, & ita, ſi vulnus eſſet in gena & peruenerit vſque ad cavitatem buccæ, perforetis labra vſque ad partem intimam, moxque acum inuertatis & reducatis ad exteriora, ita vt non ſolum partes externæ, verum etiam internæ coniungantur, niſi enim hoc fiat, labra hiantia remanent in cavitare buccæ, vt ego aliquando vidi in quodam, cui conſutum fuerat vulnus in parte extrema tantum.

Præterea obſeruandum eſt, vt labra bene vniantur & æqualiter, alioqui ſequeretur quod turpis admodum redderetur facies, ita vt æger videretur ſemper facere ſberleſos vt
 30 vulgo dicitur. Si ergo volueritis recte & æqualiter conſuere, opus eſt vt prius ſiſtatis ſanguinem & non faciatis, vt iſti, qui ſtatim accelerant conſuſionem & nihil aliud videntur curare: vnde ſæpe ſit, vt cicatrix ſequatur obtorta: & ideo vos ſemper, antequam conſuatis, ſiſtatis ſanguinem, & animaduertatis vt æqualiter conſuatis labra. Et ideo ego raro ſoleo conſuere prima die, nam nolo vt ſanguis me impediatur, ita moneo vt faciatis etiam vos: & etiam ſi fuerit tranſacta ſecunda & tertia dies, poteritis conſuere: & animaduertatis etiam, ne nimis arcte neque nimis laxè conſuatis: & ſemper conſuatis vulnera faciei, nec dubitetis, quin conglutinentur, etiam ſi Hippocrates ſect. 6. aph. 19. dicat, quod labra, præputium & gena non conglutinentur, tamen ego experior oppoſitum: non ſolum enim vido & vidi ſæpe conglutinari vulnera in genis, verum etiam in pinnis narium, vnde ſemper fui in hac opinione, quod Hippocrates intelligat de ſifarcoli, id eſt, de conglutinatione, quæ ſit per carnem ſuccreſcentem, quæ caro expleat ſolutionem continui, & hoc modo verifiſſimum eſt, quod nec gena, nec præputium nec nares conglutinentur, quoniam non ſub eſt pars, quæ poſſit carnem gignere: labris enim ſubſunt dentes, in quibus non gignitur caro: idem dico de naſo & præputio. Credo igitur quod Hippocrates intelligat de conglutinatione illa, quæ ſit medio illo glutine: Quare non dubitetis conſuere vulnera faciei, quia dubio procul conglutinantur.

Sed notate, quod licet ſupra dixerim, omnia vulnera faciei eſſe conſuenda, tamen ſunt excipienda vulnera caua, & per vulnera caua intelligo illa, in quibus de eſt ſubſtãtia
 40 & pars aliqua: nam ſi eiufmodi vulnera conſuantur, tota faciei cutis redditur rugoſa, facitque in parte, vbi eſt vulnus, veluti maſſupium: & ideo caua vulnera, in quibus amputata eſt pars aliqua, nunquam ſunt conſuenda: & ſi reperiatur, quod aliquis ineptus chirurgus conſuiſſet, fibulæ illæ ſtatim reſecentur. Sed dicetis, ſi non conſuantur huiufmodi vulnera, remanet certe ampla cicatrix. Reſpondeo verum eſſe, ſed turpius longe eſt geſtare continuo in facie veluti maſſupium: quam magnam cicatricem. Igitur omnia vulnera faciei conſuenda ſunt, præterquam caua, id eſt, in quibus de eſt aliqua ſubſtãtia vel oſſis vel cutis.

Facta futura veniendum eſt ſtatim ad medicamenta agglutinantia & præcipue ad barbarum. Aliqui tamen ſunt, qui conſutum vulnus quotidie madefaciunt albo oui, de

inde superinſpergunt puluerē ex bolo armena, aloē, thure, maſtiche, & roſis factō ſcilicet puluere ex omnibus his: poſt inſperſionem pulueris imponunt linamentum madidum albumine oui, & ita procedunt vique ad quartam, & cum vident, quod labra incipiunt agglutinari, fibulas ſtatim ſecant. Ego vero conſuto vulnere, ſtatim deuenio ad barbarum ceratum; & ſi hyems ſit, vtor ipſo puro, nimirum tali, quale conficitur in officinis, ſi autem æſtas ſit, vtor diſſoluto cū oleo maſtichino vel alio conſimili, & ita extendo ceratum hoc ſupra linteū & impono, & ſupra hoc deinde applico ſpleniū duplicatū vel triplicatū madidū vino aſtero, poſtea ligo partē aliqua ſaſcia. Sed ſi vulnus penetret in cauitatem buccæ, ita vt genæ pars externa atque interna ſit vulnerata, tunc non ſum contentus his extrinſecus tantum applicatis, ſed foueo etiam locum intra os aliquo decocto, quod habeat vim conſolidandi. Materia autem ex qua poteritis decoctum parare, eſt hæc: pentaphyllum, myrtilli, hypocyſtis vel eius ſuccus; radix conſolidæ maioris, gummi arabicum optimum eſt, gummi tragacanthi, hæc omnia agglutinant & ſiccant & non ſunt ingrata palato, cuius rei etiam eſt habenda ratio & ideo non deuenimus ad aloem, nec ad metalla, præterquam ad alumen, in pauca tamen quantitate & ad bolum armenum, qui in officinis vocatur bolus orientalis, hæc eſt materia, ex qua poteritis facere decoctum hoc modo: *Rec. radicem pentaphylli, tormentillæ, conſolidæ maioris, roſarum rubearum ana M. j. myrtillorum vnc. ½ gummi arabici, tragacanthi an. drach. j. thuris, maſtichis ana ſcrup. j. boli orientalis drac. ½. hæc coquantur in ſufficienti quantitate aqua ad conſumptionem tertie partis, deinde colentur, & decoctum hoc colatum continuo aſſumatur in os; & ſi aſterum nimis videbitur, admiſce-*

*Si vulnus
penetret in
cauitatem
buccæ.*

*Decoctum
conſolidans.*

*Obſeruan-
di
in vulnerib.
faciei.*

Euacuantis.

Vitiis ratio.

In vulneribus autem faciei hæc ſunt obſeruanda, vt ſcilicet æger caueat à riſu, alioqui fibulæ poſſent ſecare labra, caueat ob eandem cauſam à violenta maſticatione & à quolibet magno oris motu; & ſi vulnus ſit alicuius momenti, à vino, ab aere calido, ab iis, quæ immutant animum, & reliquis vniuerſalibus, de quibus ſuperius dictum eſt.

Euacuetur etiam ſi vulnus ſit magnum lenita aluo caſſia aut clyſtere acri, ſectio-
ne venæ vel cucurbitulis ad ſcapulos affixis, vel exhibitio aliquo cholagogo frigido vel temperato.

Vitiis ſit tenuis, frigidus & humidus & liquidus etiam, ſi vulnus ſit in labris aut buccis.

Præterea Medicus cum deuenit ad quartam diem, ad ſummum ſemper debet ſecare puncta, id eſt, fibulas. Sed dicet, ſi vulnus totum in quarta die non fuerit conſolidatum, ſed tantum in vna fuerit agglutinatum, ſunt ne ſecandæ fibulæ: dico quod ſic, at non ſunt auferendæ, niſi altera die, & pars, quæ non eſt agglutinata, poterit commode agglutinari appoſitis linteolis illis cum glutine: præterea barbarum quo vtimur, fungitur munere & medicamenti & ſuture: nam viſcidum & glutinoſum eſt, ita, vt iungat labra, & ego ſæpe agglutinaui vulnera faciei ſolo barbaro. Quod ſi agglutinatio non ſuccederet, vt ſi eſſet vulnus cauum, tunc vtendum eſt altera curandi ratione, quæ ſit per reſectionem & generationem carnis, de qua curatione dictum eſt ſupra.

De correctione turpis cicatricis.

CAPVT XXIII.

Cauſa. **S**uccedit iam cicatrix, quæ grauis admodum ægro eſt, quando eſt turpis, & tunc eſt opus eam corrigere.

Redditur autem turpis quinque de cauſis, quia vel eſt caua; vel turget ac prominet, vel habet malum colorem; vel eſt dura & rigida, vel eſt inæqualis, vt quando ſunt male conſutæ partes: & ſemper videbitis, quod cicatrices turpes ſunt ob aliquam harum cauſarum, nam aliæ cicatrices ſunt cauæ, ideo turpes & egent ob id correctione, aliæ eleuatæ & prominentes, aliæ habent colorem nigrum, aliæ ruberum nimis, aliæ liuidum, aliæ nimis duræ ſunt, ita vt impediunt motum buccarum, aliæ ſunt inæquales ita, vt in vna parte ſint cauæ, in alia prominentes, hic craſſæ, inibi planæ, & hæc omnes cicatrices cum turpes ſunt, ſed corrigendæ, de cauâ igitur dicamus primo.

*Cicatrice
caua & ca-
uæ cauſa &
correctio.*

Solet caua effici cicatrix aut ob errorem Medici, quando vtitur nimis cito eptuloticis, id eſt cicatricem inducentibus, & nimis valde ſiccantibus medicamentis, aut caua redditur ob defectum oſſis, & ſiue ab hac ſiue ab illa cauſa facta ſit caua, eſt cor-

est corrigenda, diuersus tamen est corrigendi modus. Illa igitur, quæ caua est ob errorem Medici, corrigitur hoc modo: Oportet scarificare auferreque cicatricem ipsam, quod fiet admoto aliquo medicamento vesicatorio, vel applicito medicamento exedente & caustico, sed melior est vsus vesicatoriorum, & ideo laudo, vt fricetis cicatricem cum nitro; excitabuntur enim vesiculæ, quibus disruptis, remanebit cicatrix exulcerata. Scarificata cicatrice fugiatis epulotica, id est, cicatricem inducentia, & vtamini sarcoticis, id est, carnem gignētibus, sed sint sarcotica lenia: vnde soleo ego accipere terebinthinam & miscere cum ipsa parum olei mastichini & impono; & hoc modo tento carnis generationem & repletionem cauitatis, qua expleta tento generationem nouæ cicatricis: & quia
 10 indigemus etiam humiditate, idcirco soleo etiam cum terebinthina admiscere oleum amygdalarum dulcium, & ita applico medicamentum hoc cicatrici scarificata, & supra deinde impono linteum illinitum retrapharmaco, quod & vnguentum basilicum in officinis appellatur, & hoc modo sæpe correxi profundas admodum cicatrices. Si autem sit caua ratione deficientis ossis aut copia carnis, tunc repletio est difficillima; aliquando tamen succedit: primo autem foueatis quotidie cicatricem aqua tepida vel simplici vel quæ habeat admixtum oleum, foueatis inquam, donec cicatrix contrahat ruborem aliquem, deinde fricate locum moderate cum digito inuncto oleo amygdalarum dulcium, vel cum pecia imbuta eodem oleo; postea superimpono medicamentum à me vocatum de gummi elemi, quod medicamentum trahit ex alto humores, & hoc modo res mihi
 10 aliquando feliciter successit.

Medicamentum autem quod ego voco de gummi elemi, paratur hoc modo; *Rec. Medicamentum ex gummi elemi. vnc. iij. resina pini, cera citrina, propoleos, ammoniaci an. vnc. ij. terebinthina vnc. iij. olei communis antiqui, olei rosacei an. vnc. j. bulliant simul omnia præter ammoniacum cum cyatho vno & dimidio vini maluatici vsque ad consumptionem vini, ultimo addatur ammoniacum cum aceto dissolutum & malaxetur cum vino aut aqua vita.*

Si autem cicatrix turgens prominensque sit, aliquando ego ipsam depresso pura lamina plumbea alicuius ponderis pluribus diebus supra cicatrice gestata, aliquando cum lamina plumbea non pura, sed fricata in ea parte, qua respicit cicatricem, fricata inquam hydrargyro, id est, argento viuo. Poteritis etiam vti medicamento aliquo, quod habeat
 30 vim comprimendi cicatricem, cuiusmodi est vnguentum citrinum Nicolai; vel capiatis radicem polygonati, id est, fraxinellæ illius, vel radicem cucumeris asinini, vel radicem ari, vel radicem cyclaminis vel bryonie; capiatis, inquam, vnam vel duas ex his radicibus & gladio abradatis & misceatis rasuram radicum cum melle crudo æquis portionibus, ita, vt tantum sit rasuræ quantum mellis, & hoc medicamento vesperi cum æger it dormitum, illiniatis cicatricem: conuenit etiam sapo ille damascenus odoratus, sapo cyprius, sapo neapolitanus ex pinguedine cerui est quoque præstans & sapo communis, qui saponem dissoluti oleo rosaceo & succo limonis pauca in quantitate illiniendi sunt supra cicatricem, cum æger it dormitum; vel si æger nolit vti aliquo istorum, vtatur hoc; *Rec. pulueris coralorum, pumicis, aleyonij, sepiæ ana drach. j. Misce & fiat puluis,* qui admixtus cum melle erit
 40 medicamentum opportunum, si cum eo fricetur cicatrix quotidie, vel mandate, vt quotidie vesperi, quando it dormitum madefaciat cicatricem hac sequenti mixtura: *Rec. limones er. v. vini maluatici lib. iij. radicem ari viridium lib. j. aluminis roche combusti vnc. vi. terantur radices & limones incidantur gladio & misceantur omnia simul ponanturque in alembicum ex vitro & educatur aqua:* quæ aqua optima est non solum pro cicatrice prominente corrigenda, verum etiam pro auferenda nigredine illa faciei relicta à sole & dealbanda facie. Sed adhuc præstantius ad vtrumque est lac illud virginum chymistarum, cuius parandi rationem iam docuimus. Sed nolo reticere vnum, quod apud me est peculiare ad deprimendas cicatrices & colores ipsarum remouendos: capio igitur duas drachmas argenti sublimati & tero optime, deinde affundo succum duorum limonum, vt puta
 50 duas vncias succi & pono in mortarium lapideum & duco per dimidiam vel integram horam cum pistillo ligneo, deinde expono soli in vase vitreo & relinquo, donec siccetur succus; postea capio medicamentum siccatum, & colloco in linteolum candidum & purum & facio fasciculum, deinde capio duas vncias succi limonum & totidem aque rosaceæ & infundo fasciculum in aquam & succum simul mixta, & relinquo integram noctem, matutina postea hora extraho fasciculum & vix ipsum comprimo, deinde abicio fasciculum, & liquore illo, qui remanet, madefacio vesperi, quando æger id dormitum, cicatricem & deprimat optime sine molestia & periculo. Isti laudant oleum ex vitellis ouorum: ego sum ipso vsus, sed res non successit: alii addunt balsamum, quod ego non sum expertus.

Cæterum si cicatrix nigra vel rubea fuerit, pariter est corrigenda. debetis itaque scire, quod cicatrix fiat rubea ratione sanguinis, qui sanguis si à frigore concresecat & conspissetur, efficit colorem nigrum. Quia igitur cutis non est conspissata, & exanguis reddita ideo fit cicatrix rubea. Et ideo pro remouendo colore illo rubicundo, oportet admouere ea, quæ moderate siccent & repellant sanguinem illum, in quæ re conuenit cerussa, lythargyrium aureum, lytharg. argenteum, bolus orientalis, terra sigillata, gallæ immaturæ, succus vuarum acerbæ & similia, vel faciatis, vt quando æger it dormitum, accipiat guttam succi vuarum acerbæ in vola manus & supra guttam illam inspergatis parum lythargyrii & parum cerussæ cloræ & simul optime mixtis illiniat cicatricem, mane postea abluit illam vino aliquantulum austero & albo. Soleo etiam ego capere micam argenti illius sublimati, quo vtuntur mulieres ad dealbandam faciem & parant sub sole cum salina, & frigidum est medicamentum, capio inquam micam huius medicamenti & dissoluo cum succo limonum vel agrestæ, vel cum aquo rosaceo & illinio cicatricem, & preciosum est medicamentum, & tuto citoque agit. Bonum quoque est vnguentum alabastrum, puluis gypsi dissolutus cum succo limonum vel agrestæ, vel vtamini hoc sequenti, *Recip. olei ex vitellis ouorum vnc. j. cerussæ drach. j. olei mirtini drach. ij. misce & inducito in mortario plumbeo per horam, & hoc illinio.* vel vtamini isto, *Rec. farine oryzae, farine hordei, pulueris cerussæ, alabastrum, myrobalarum, citrinorum, succi agrestæ ana quatum sufficit. misce & illiniatur cicatrix.* vel accipiat lythargyrium argenteum & cerullam, & addito succo agrestæ faciatis linimentum & illiniatis cicatrici.

Cicatrix nigra.

Si autem cicatrix fuerit nigra, opus est iis quæ dissoluunt sanguinem refrigeratum: & ideo soleo ego fouere cicatricem per dimidiam horam cum spongia madida aceto aut lixiuo, vel applico vnguentum alabastrinum descriptum in Luminari maiori vel aliud simile, vel emplastrum cerine mixtum cum diachylone & optimum est, quoniam attrahit & digerit sanguinem illum refrigeratum.

Cicatrix dura.

Si autem cicatrix sit dura, occurrendum est emollientibus, inter quæ primū locum habet oleum ex vitellis ouorum, quo isti solent vt in omni cicatrice & errant, quia nec in rubra nec in nigra confert: in caua autem aliquid facere potest, sed solum in dura optimum est. Bonum quoque est oleum amygdalarum dulcium, pinguedo anseris, gallinæ, cecæ recis, vrsina. Ego autem vtor pinguedine humana, qua nihil est præstantius, & ita facit in hoc, vt apud vulgum sit iam in visu in qualibet cicatrice. Ego tamen dico, quod solum satisfaciatis in cicatrice dura ratione emolliationis & similitudinis, verum non vtor ego ipsa sola, sed admisceo aliquod attenuans, vt oleum, in quo decocta sit radix cucumeris asinini vel cyclaminis, nam dura cicatrix requirit etiam aliquod, quod dissipet callum; & ideo misceo pinguedinē humanā cum oleo dicto vel cū oleo vetusto, & in hoc medicamento valde ego fido & accipio pinguedinē & oleū æquis portionibus, & vespertim, quando it dormitum, inungo cicatricem, & certe optimum est medicamentum. Quando nec hoc nec illo volo vt & cicatrix est magna & valde dura, vtor isto, inungo cicatricem pinguedine aliqua vel oleo amygdalarum dulcium, deinde accipio medullam panis & macero in aceto, postea extraho & pono medullam supra cicatricem & emollitur cicatrix ita, vt sit mirum; nam hoc modo simul & semel emollitur atque attenuatur: emollitur quidem ratione olei, attenuatur autem ratione aceti.

Cicatrix rugosa.

Si demum cicatrix sit rugosa, eo quod male sit confuta, oportet iterum secare & recte confluere & cicatricem inducere; & hoc aliquando ego feci, & optime successit.

De luxatione cum conuulsione.

CAPVT XXIV.

Luxationi superuenit interdum conuulsio, in qua hærent sæpenumero Medici & torquentur, ita tamen tractanda est: Os restitutum sua de sede est remouendum, ita vt fiat iterum luxatio, vt præcipit Hippocrates in 4. de artic. text. 32. quo facto, opus est habere paratam copiosam aquam vel aquam cum oleo mixtam & optime ac diu abluendus est articulus, ita vt multa aqua ac sæpe foueatur; nec sat est hoc fecisse, sed monet Hippocrates, vt calefaciamus vniuersum corpus, ita vt incipiat sudare, & quantum possibile est calefacere etiam oportet articulos omnes quoniam consensum habent cum articulo affecto. Et si vos vultis esse cautiore diligentioreque, inungatis principia nervorum cum aliquo, quod summe calefacit, cuiusmodi est medicamentum illud Mesue, quod balsamum vocatur, vel illo deficiente inungatis cum oleo abietino vel de terebinthina,

binthina, vel oleo de emphorbio, vel oleo liliorum completo, quod vocatur cum aromatis, vel vtamini oleo irino completo, id est, cum aromate vel alio simili, quo inungetis totam spinam & dorsum ab occipite vsque ad extremam caudam, inungatis etiam axillas & inguina, & hoc modo, scilicet inungendo & calefaciendo totum corpus & articulum affectum atque ipsum pariter diu fouendo superabitis conuulsionem: qua remota agetis ea omnia, quæ dicta sunt conuenire in luxatione articuli magni cum detecto osse vel cum osse prominente non restituto.

De luxatione cum gangræna.

10

CAPVT XXV.

NON solum conuulsio & inflammatio, sed etiam gangræna solet sæpe luxationi succedere, luxationi inquam, cum vulnere cum vlcere coniunctæ; atque illi, quæ est sine vlcere, quemadmodum etiam luxationi, in qua os est duntaxat detectum nec non illi, in quo os prominat. Omnibus namque his luxationibus contingit, vt coniungantur cum gangræna.

Quib. luxationibus gangræna superueniat.

Cuius causa varia est ac multiplex, vt dicit Hippocrates in 4. de articul. text. 33, vbi habetur, quod solet luxationi superuenire propter copiam sanguinis fluxi ad articulum, atque inibi concretæ, extra scilicet vasa, vbi putrescens partes corrumpit, vel propter deligationes nimis strictas, vt solet accidere in fracturis ossium; & ego alias vidi gangrænam ex huiusmodi causa ortam, sicuti etiam interdum genitam ex impositione illius defensiu recentiorum, quod constat ex bolo armena sanguine draconis & aceto. His de causis solet gangræna luxationi superuenire. Addatis vos ingentem inflammationem, quæ excitata sit ratione doloris facti vel ob tentatam restitutionem, vel ob ingentem contusionem; ex summo namque dolore orto propter difficilem restitutionem tentatam, fit magna humorum attractio, quam attractionem sequitur inflammatio & inflammationem sequitur gangræna, quæ etiam nasci solet, vt dixi, ex contusionibus & denigrationibus magnis in articulo existentibus.

Causa.

30 Si itaq; facta vel non facta luxati ossis repositione appareat vel incipiat fieri gangræna, quid agendum? dico, quod debeatis reuocare ad memoriam curationem gangræne & sphaceli à me alias traditæ, quando egi de tumorib. præter naturâ, quæ curatio consistebat in his, q. primo instituenda est recta victus ratio, quæ sicet ac resistat putredini. Secundo lenita alio secunda est vena, vel si vena secari non possit, exhibeatis phar macum, quod habeat facultatem educendi humores feruentes, qualis est confectio hamech.

Totum corpus respiciunt.

Tertio instituenda sunt reliqua omnia, quæ totum corpus alterant atque reliquas res non naturales respiciunt.

40 His peractis deueniendû est ad locum affectum, in quo si videritis gangrænam incipientem vel incipientem sphacelum debetis primo scarificare totam illam partem, quæ incipit corripî & mori, & scarificationes sint satis profundæ. Factis scarificationib. ablutis locum optime cum aliquo decocto, quod habeat magnam vim siccandi & resistendi putredini vti est decoctum lupinorum, lolii & orobi, quibus decoctionibus poteritis commiscere ægyptiacum vel salem vel acetum. Post abluionem vero imponatis aliquod medicamentum robustum, cuiusmodi sunt trocisci illi, de quibus mentionem fecimus alias in curatione herpetis, vel imponatis emplastrum factum ex oxymelite, farina orobi, lupinorum & lolii: vel deueniatis ad causticum medicamentum: sciatis tamen, quod causticum in principio non sit totum.

Parti affectæ & gangræna insistentia.

50 Quod si non possitis impedire gangrænam, sed iam emortuæ sint carnes, & quicquid infra articulum existit. Recentiores & qui scripsit librum introductorium inscriptum cap. 19. quem librum non credatis esse Galeni, vt quidam falso dicunt: isti itaque dicunt, amputandam esse totam partem corruptam & obseruandum confinium seu terminum sani & corrupti, & in eo confinio dicunt membrum esse incidendum, in parte potius tamen sana inter laqueum & laqueum, eo modo, quo vos docui in curatione gangræne & sphaceli. Facta amputatione, dicunt, partem membri, quæ relicta est, esse ferro ignito inuredam, & post exustionem imponendum esse succum porri, vel chalcanthum exultum vel aliud simile, quod sanguinem valeat sistere. Instrumentum autem, quo membrum corruptum resecat, est ferra. Et hæc facienda sunt iuxta sententiam recentiorum atque introductorii.

Si corruptæ iam partes, cura recentiorum.

Curatio Hippocratis. Sed longe melius Hippocrates rem hanc nouit & præstantiorem curationem docet, qui monet, vt nouacula auferamus carnes corruptas, ea tamen ratione, vt semper caueamus à partibus sanis ac viuis, aliter excitaretur maximus dolor, qui esset in causa magni defectus animi & tantæ spirituum resolutionis, quod succederet mors, quæ vt euitetur, semper est relinquendum aliquid partis corruptæ in parte sana potius, quam è contra.

Quomodo membrum amputandū. At si totum membrum esset amputandum, sectio non est facienda in medio internodio, sed in articulo tantum, vt si luxatio esset in genu & corruptum totum crus infra genu & aliqua portio supra genu. Hippocr. vult, vt sectio fiat circa articulum genu, hac ratione, vt cita fiat sectio, & pars emortua cito secari possit, relictis ossibus ipsis, vt per se postea recedat. Si autem sectio fieret supra genu, oporteret etiam secare os, quod nõ posset fieri, nisi longo tempore: quo fiet, vt ex longa & violenta actione deficient spiritus ipsi misero ægro, atque ob id sectio est semper facienda in articulo, & si quid partis corruptæ remanserit cum sano, Hipp. vltionis non meminit in ea parte relicta faciendæ, sed præcipit imponenda esse medicamenta quæ auferunt putredinem & valde siccant, ita enim partes illæ corruptæ & mortuæ per se concident & os ipsum recedet, atq; interim vlcis purgationi atque sanationi erit incumbendum. His factis Hipp. ponit magnam spem in optima collocatione & situ membri derelicti, quæ collocatio debet, vt ipse inquit, esse talis, vt extrema pars attollatur aliquantulum & sit elatior, ne fiat fluxio humorum ad partem illam, vt solet fieri copiosissima in præcisus partibus: hac de causa debet pars resecta esse elatior quam superior. Atque in tali situ seruanda est, donec illud, quod est corruptum, recedat & fiat bona caro, & tunc extrema illa pars membri derelicti debet collocari non amplius elatior sed decliuor. Et circa locum imponetis ea quibus vtebamini supra, quando expectabamus os recessurum.

Sed notate vnum magni momenti ex Galeno, & est, quod quando quis est passus huiusmodi morbū, & ipsi amputatus est aliquis artus, solet cadere in symptomata morbosque perniciosos & periculosos.

Morbi & symptomata mutilarū. Et primum, quod solet his miseris hominib. accidere, est eruptio sanguinis per varias partes, vt aliquando per intestina, aliquando per hæmorrhoides, aliquando per nares, quandoque per asperam arteriam. Alterum quod ipsis solet accidere, est peripneumonia: tertium pleuritis, quartum cholera: quorum omnium causam affert Galenus dicens, quod epar gignat sanguinem pro singulis corporis partibus, vt & ante refectionem membri solebat; sed cum postea vnus deficiat artus, non potest sanguinis illa pars quæ pro illo artu gignitur, absumi, hinc fit vt coaceruetur in corpore, & pariat postea illa, quæ retulimus.

Quocirca moneatis hominem, cui præcisus est artus, vt in posterum minus comedat quam consuevit, vtaturque sæpe euacuationibus p pharmacum, idq; fiat per aliquot saltem annos, donec epar contrahat talem dispositionem, vt non tantum gignat sanguinis: euacuetur etiã per sectã venam, præsertim vere: exerceat se validissime, vtatur frictio nibus robustis & copiosis, lauatur ante cibum sæpe, post cibum vero nunquam, & aliquando vtatur pro balneo aquis vim digerendi habetibus: vti est salsa, nitrosa, sulphurea & similes, in quibus contulerit, vt interdum natet, & immergatur.

De luxatione recidiuante. CAPVT XXVI.

Causa. **A**Ccidit articulis, vt cum luxati fuerint ac restituti, iterum atque iterum de sede sua cadant & minime possint in suo loco contineri, sed ex leui quocumque motu iterum prolabantur, fiantque recidiuæ & quasi spontaneæ luxationes, quæ difficiles admodum esse consueuerunt: & difficultas non est in ipsa repositione, sed in conseruatione articuli in propria sede post factam restitutionem vel ab ægro ipso (nam & ægri solent sibi ipsis luxata ossa reponere) vel à docto ac exercitato Medico.

Causa harum luxationum, quæ recidiuantes & quasi spontaneæ vocantur, multiplex esse solet: nam aliquando causa est violenta aliqua luxatio, quæ præcessit eo, quod reliquerit ligamēta relaxata ac debilitata ita, vt spōte quodã modo os sua de sede labatur, quod tunc præcipue accidere solet, quando non fuit adhibita curatio conueniens prioris luxationis, vt exempli gratia, quando humerus ex violentia aliqua luxatus est, deinde restitutus, sed non bene siccatus & confirmatus articulus in sua sede per medicamenta opportuna & per fascias, tunc solet cubitus iterum luxari propter laxitatem ac imbecillitatem in ligamenti relicta, & hæc luxatio fere spontanea à violenta luxatione, quæ præcesserit, oborta, solet accidere omnibus articulis, præcipue cubito.

Alter

Alterā causā luxationis recidiantis est humor receptus in articulo & humectans ligamenta, & chordas ipsius, cuius luxationis à tali causa ortæ habetis exemplum ab Hippocrate *sect. 6. aph. 59. & 60.* vbi habetur, quod quoties superuenit dolor coxæ dicis fluentibus ratione doloris ad articulum illum humoribus, fit, vt ligamenta humectentur, laxentur & effeminentur, quo sequitur, vt articulus, etiā si non præcesserit violētia aliqua, cadat per se & sponte ex propria sede, & quamuis reponatur, tamen ob effeminationem illorum ligamentorum iterum concidit.

Tertia causā luxationis recidiantis est inflammatio aliūve tumor longus & diuturnus obortus circa articulum & male curatus. Quare tres erunt causæ luxationis recidiantis, quarum prima est præcedens luxatio aliqua violenta, secunda est effeminatio ligamentorum, tertia tumor præter naturam, at effeminatio est ex omnibus potissima, quia ipsa præfente solet articulus ex loco proprio labi, licet non præcesserit violenta luxatio, nec adsit tumor aliquis circa articulum.

In his autem omnibus luxationibus recidiantibus vnica proponitur curatio ab Hippocrate tum de humero, tum de femore; de humero quidem in *1. de articuli. atext. 41. ad 48. & vltra:* de coxa vero seu de articulo femoris *sect. 6. aph. 6.* & curatio per vstionem. Possitis quidem tentare curationem per medicamenta siccantia & roborantia, vt ligamenta illa redderentur sicca ac robusta: tamen sciatis: quod quando articulus patitur recidiam & illam frequentem, vera curatio est, quæ proponitur ab Hippocrate per vstionem, quæ quamuis acerba sit & videatur violenta, tuta tamen est admodum. Ita-
 20 taque purgato corpore, secta vena & institutis optime reliquis, quæ ad capita vniuersalia attinent, deueniendum est ad locum affectum, in quo administranda est vstio, qua vitur præcognita causæ, quæ duplex est: vna scilicet relaxatio & elongatio nimia partium quæ per vstionem sunt contrahendæ ac densandæ; altera est copia humiditatum, quæ sunt siccandæ & euacuandæ per vstionem: Si enim obseruatis vnquam, in articulo recidiantes sunt duo, videlicet elongatio ligamentorum & mollities seu effeminatio eorundem; & sicut mollities & effeminatio est in causa elongationis, ita elongatio ligamentorum est in causa vt articulus nõ possit in sua sede contineri, sed labatur denuo extra ipsam. Vnde si volumus curare luxationem recidiantem, oportet auferre omnem humorem & mucorem,
 30 qui circa articulum continetur & imbibitus est in ligamenti ipsius, ad cuius humoris mucosiq; ablationem sequetur contractio, abbreviatio & roboratio ligamentorum, atq; subinde articulus retinebitur in sua sede: quia remota erit mollities & effeminatio ligamentorum: hæc omnia autem præstat vstio, quoniã auferendo mollitiem & effeminationem, efficit vt ligamenta retrahantur fiantq; breuiora. Vstio postea inducit escharam, qua ablatæ remanet vlcus cauum, omne autem vlcus obducitur cicatrice breui, angusta & contracta, quæ stringit articulum; vnde talis cicatrix erit in causa, vt ligamenta reddantur spissiora validioraq; & talia reddita retinebunt articulum in sua sede. Accedit, quod per vstionem aufertur duob. modis mucor & humiditas circa articulum & ligamenta contenta: vnus modus est, quod per vlcus euacuatur sensibiliter per partem post partem: altera vero est, quia vstio cum calefaciat & siccet, absumit humores illos, quo fit vt effeminationem ligamentorum atq; articuli auferat & stabilem ipsum reddat.

Et propterea dico, quod nihil in hoc casu sit præstantius vstione, ad quam hortor vos vt deueniatis, non tamen sine ruminacione & animaduersione, quia ignis, vt inquit Hippocr. est neruis inimicus, quo fit vt ipsius vsus in articulis & articulorum partibus non sit valde tutus, atq; ob id maxima cum diligentia & cautela vstione est vtendum; q; facietis, obseruatis iis præceptis, quæ necessario sunt obseruanda, & primum est, quod debeat præcipue vri illa pars, in quam cadit articulus siue os & quiescit, non autem est vrenda pars illa, quæ est circa articulum, vt si humerus esset luxatus & cecidisset in alam, tunc vrenda esset ala, quia tota laxitas & effeminatio est in parte illa, in quam os labitur: vnde
 50 Hippocrates iure reprehendit illos, qui in luxatione humeri recidiantes exurebant partem epomidis superiorem & posteriorem, non autem alam, in quam conciderat humerus, qua vstione luxationem potius generabant, quam sanabant.

Alterum præceptum est, vt in vrendo obseruemus diligentissime, ne vramus partes neruofas vel neruos ipsos magnos, vel magnas venas aut arterias, aut glandulas, quarum partium omnium maxima est habenda ratio, & præsertim neruorum & chordarum ne exurantur, quia ignis est illis inimicus, vt testatur Hippocrates in *1. de articuli. text. 48.* non quidem sua caliditate, sed siccitate, ita, vt si vrentur, fiet illa difficillima conuulsionis species, quæ vocatur conuulsio ex siccitate, quare erit secundo loco obteruandum

Curatio.

Indicationes.

Vstionem omnium scilicet scilicet.

Præcepta in vstione obseruanda.

Quæ pars sit vrenda.

an circa partem articuli vrendā ad sint vasa magna, venæ, arteriæ, nervi, chordæ aut glandulæ, & illas fugimus, ne villo modo vrantur.

5. Tertium præceptum est, vt exuramus cum ferramentis, quæ non faciant escharam valde magnam. Ferramenta autem tribus modis inducunt magnas crustas aut paruas.

*Ferramenta
magnam aut
paruam crus-
tam facien-
tia.*

Primus modus est, si ferrum sit magnum, quia ob suam magnitudinem multā partem exurit. Ne igitur fiat magna crusta, debet primo ferramentum esse paruum. Secundo ferramenta faciunt magnam escharam, quando sunt præter modum rotunda: cum enim non possint cito penetrare, morantur diu in loco, & ex mora exurunt valde laterales partes. Ne igitur hoc fiat, debent secundo loco ferramenta in summo esse acuminata & penetrantia. Tertio sit crusta magna, quando ferrum non est candens nec album ac lucidum: ferrum enim semiignitum maiorem excitat escharam, quam ignitum & valde candens: videbitur vobis hoc paradoxum, tamen sciatis, quod ita sit, & ratio est, quia ferrum candens citius permeat, quam ferrum semiignitum. Et propterea vt fiat parua eschara, non solum requiritur vt ferrum sit paruum & acuminatum, sed etiam, vt sit valde cādens ignitum ac lucidum, ita enim crusta excitabitur parua & actio cito expeditur.

Itaque tertium præceptum obseruandum in exurendo locum est, vt vitamur ferramentis illis, quæ inducant parua crustam: si enim excitaretur magna, fieret quoq; magnum vlcus & magna cicatrix, quæ postea diffrumperetur.

4. Quartum præceptum est, vt post vstionem vsque ad integram sanationem vlceris in quiete sit articulus ac contineatur aut suspensus aut alio modo, & post sanationem etiam per aliquot dies, antequam ad vsum veniat, quia si casu post vstionem luxaretur iterum, insanabilis profecto esset affectus. Hæc sunt præcepta obseruanda in facienda vstione.

*Modus v-
rendi.*

Modus autem, quo vritur humerus, traditur à Paulo *libr. 6. capit. 42.* & ab Hippoc. in *1. de articul. à text. 41. vsque ad 48.* at quomodo exuratur coxa, habetis pariter apud Paulum *libr. 2. cap. 76.*

De modo consultandi. CAPVT XXVII.

*Consultatio-
num causa.*

Consultationum medicarum geminam esse causam certum est; vnam quidem inu- 30
cilem, quæ pompam tantum ac popularem auram respicit. estque nobilitas ipsa generis atque diuitiarum abundantia, qua acti nobiles homines, vt in omnibus alios superent, si quis inter istos, quantumvis leui morbo ægrotet, plurimos tunc Medicos accersunt, hæc, vt pote philosopho ac ciuili homine indigna, consultationum futilis causa est censenda. Altera vero causa est, cum morbus maximam difficultatem in se continet, cum ratione sui tum affecti corporis; nam aliquando ob vehementiam, ob celeritatem, ob ipsam magnitudinem, ob inueteratam diurnitatem, ac tandem ob quandam naturam, quæ mali moris sit, aut quæ noua in nostra vrbe videatur, morbi solent difficultatem maximam parere. Locus etiam affectus, qui aliquando ignoratur, cumque geminus sit, pro vno sæpe numero censetur. Subiectum etiam ipsum corpus humanum, 40
alias robustius, alias imbecillius cum sit, idque varias ob causas accidat, solent difficiles morbos reddere. His haud addam aliquando perplexum Medici animum, timiditatemque (ne dicam ignorantiam) consultationum causam gignere.

Itaque si huius negotii leuis causa fuerit, non erit Medico onus subeundum: sin contra difficultas ipsa rei consultationi occasionem dederit, hæc consultos Medicos monet, vt maximam in inuestigando morbum diligentiam adhibeant atque animum aduertant ad ea, quæ dicenda sunt.

At duo sunt præcipue capita in hoc obseruanda: primum, vt Medicus ægritudinem recte cognoscat; alterum vt recte consulat; hoc secundum caput tractabimus postea: nunc autem de illo priori dicam, qua ratione scilicet Medicus in cognitionem affectus veniat, quæ res duobus perficitur, quorum vnum est, vt diligentissime ab astantibus, affinibus amicisque atque ab ipsis etiam Medicis, si qui illum præcessere in curanda hac ægritudine omnia ea perquirat, quæ ad morbi cognitionem faciunt; nec solum morbi, sed etiam causarum eorumque omnium, quæ succedere solent: alterum est, vt hæc coniungat cum iis præceptis pluribus, quæ apud optimos autores legerit: nisi enim sit valde exercitatus in iis libris, qui de generibus morborum, de causis deque signis & symptomatibus, eorumque generibus ac causis tractant, frustra omnis illa solers inuestigatio erit.

Ponamus igitur Medicum consulentē in iis libris valde esse exercitātū, vt certe debet si recte

si recte morbi naturam cognoscere, illique ita consulere, vt reliquis Medicis, reliquisque viris presentibus satisfacere velit. Quæ autem erunt inquirenda, hoc ordine disponantur, quamuis possent & alio modo ordinari. Primum ab ipso ægrotante perquirat, quid præter naturam patiatur, & quam grauis sit affectio, à qua detinetur, an alias hac eadem ægritudine laborarit sibi que familiaris sit: & si familiaris fuerit, an eadem penitus ratione, eodemque modo semper inuaserit, an eadem fuerint symptomata, ane aliquid in nouum sit. Præterea interrogandus est, an recte meminerit, qua ratione alias profligatus fuerit similis morbus; quam diu durarit: diuturnitas enim presentis morbi optime cognoscenda est, neque exquisitissima dierum horarumque, si fieri posset, enumeratio in
 10 latis longo morbo negligenda esset. Decubitus etiam ipsius tempus, præcedentium lassitudinum, quæ morbos præcedere solent, inuestigatio non est contemnenda, atque horum ab eodem ægrotante inquirenda causa, num eam ipse nouerit, vel secus. Post explicatam causam, si nota fuerit, ea symptomata sunt indaganda, quæ præcessere; sed præcipue illa quibus æger affligitur, vt sunt dolores partium, anxietates, summi calores, pulsationes, contractiones. Euacuationes insolitæ partiumque ipsarum augmenta aut diminutiones ac reliqua, quæ hanc naturam possident.

His cognitis, subiecti ratio habenda est & primo habitus corporis optime cognoscendus, bonus an malus, carnosus an excarnis sit, magnus, paruus an mediocris sit æger
 20 & similia, quæ ad habitum spectant, temperaturamque corporis totius, quæ partim per interrogationem, partim per analogiam ac signis plurimis rememoratis cognoscuntur. Post hæc viscerum etiam, quæ primaria sunt, ratio habenda est, vt statim inuestigetur cerebri temperatura, similiter & cordis, quod fiet obseruatis partibus circumpositis, cognitio excrementis, perpenis ipsius actionibus, sentientibus facultatibus examinatis, cognitio per appositionem manus frigore aut calore atque optime obseruato arteriarum motu: quibus tertio addendum est hepar, cuius intemperies omnisque ipsius habitus inuestigandus est eadem ratione, quam in superioribus visceribus explicauimus, tactuque præcipue tentandum est hoc viscus. Tunc etiam opus est, vt ingenii quadam alacritate Medicus cognoscat, an aliarum quoque partium natura necessario cognoscenda sit, vt puta
 30 lienis, renum & similibus quæ perpetuo non efficiunt nec fouent morbos, vt principes illæ partes efficere solent: quod si illæ suspicionem aliquam præ se ferant, & ipsæ optime cognoscendæ erunt. His cognitis ætas diligentissime est obseruanda, vires similiter & actiones, an ætati respondeant, videndum est: & si etiam superioris ætatis haberetur aliqua cognitio & inquisitio, haud certe cognitioni morborum obesse posset. Post hæc reum non naturalium fiat disquisitio subtilis, quæ res cum per se pateant, haud enumerandæ sunt, in quibus omnibus diligentissimus sit Medicus, nihilque penitus prætermittat, si velit & causas & morbos & consequentia optime cognoscere. Facit etiam & ad cognitionem morbi & ad sanationem, si quis præcesserit Medicus in curando morbo, aut plures, vt recte cognoscat Medicus consultaturus, quidnam ab illis sit actum, quove tempo
 40 re morbi & qua occasione. Accidit autem vt aliquando non liceat cum ægrotante colloqui, & tunc ab assistentibus aut ab amicis omnia sunt petenda: aliquando nec cum iis loquendi datur occasio nec cum ipsis Medicis, sed ex scriptis omnia sunt colligenda, & ideo tunc scripta illa diligentissime sunt legenda, neque præcipiti quodam iudicio ex primis verbis Medicus morbi naturam colligat, neque vt aliqui faciunt, hærens vni tantum sententiæ, & aliquando illam etiam deprauans cætera negligat; nam hoc maximum affert miseris ægris periculum, præcipue cum ea, quæ in consultatione continentur, sint obeunda vt plurimum à Medico iuniori, nedum ineptiori. Et quoniam deferuntur interdum schedulæ tam breues tamque angustæ, vt vix nomen ægrotantis atque loci affecti in ipsis contineatur, idcirco Medicus consultans non ita audax esse debet, vt non interrogatus respondet: ita enim decurtatæ (vt dicunt) informationes responsiones minime merentur, cum Medici hi, qui ex his schedulis omnia cognoscere profitentur, perfimiles illis, mea opinione, sint, qui ex lotii sola inspectione rusticorum ægritudines diuinare se profitentur, quod genus artis subdolæ atque deceptricis esse videtur, potiusque erroneum est, quam Medico ac philosopho dignum censendum.

Cognito itaque morbo, atque iis omnibus, quæ dicta sunt, ad alterum caput deueniendum est, scilicet ad consultationem ipsam; in quo capite primum historia totius ægritudinis proponenda est, ea tamen lege, vt consulens hæc obseruet, primo an

scriptis consultationem mandet, simulque alicui Medico respondeat, tunc enim historia est repetenda, sed tantum quasi supponendorum norma & breuius quam fieri poterit, proponatur morbus, eius causæ & reliqua, quæ in historia erunt enumerata ab eo qui prius scripserit.

Quod si in circulo ac inter alios plurimos Medicos hoc sit tractandum negotium, primus Medicus, vel qui primo loco loquitur, diligentissime historiam morbi narret nihilque ex iis, quæ recitata sunt, prætermittat, nec tantum breuitati studeat, vt aliquam historiam partem inexplicatam relinquat. Ille autem qui secundo loco, tertio aut vltimo dicturus est, omnem morbi historiam enarret, sed si quid dubium est, si quid contrarium aut repugnans, aut a priori prætermisum, aut id in quo tota summa rei nitatur, illud, inquam enunciet, ne (vt faciunt aliqui dum se nec hoc nec illud proferre velle affirmant, omnia deinde verbatenus à prioribus prodita repetunt) satietatem in repetenda historia omnibus pariat. Dum hæc narratur historia, potest eloquens Medicus omnia ea quæ ad ætatem, consuetudinem, corporis habitum atque temperaturam tum communem tum partium pertinere arbitratur, illico interferere, quod si commodum non erit, post historiam statim ætatem, consuetudinem & supra dicta omnia proponat.

Et quoniam sæpe numero solent inter se dissentire Medici in habitu totius ac partium temperatura, propterea qui loco primo dicit aut qui scribet breui ac succincta quadam norma, signa ipsa proponat habitus ac temperaturæ doctorumque autoritates in his aliquando referat, quando inæqualium temperierum aderunt indicia, resque tota non ita manifesta erit: alias reliquos Medicos pædagogico illo censu non infestet: illud idem faciant, qui in posteriori loco dicturi sunt, dum à superioribus aliqua in re quæ ad habitum & temperaturam pertineat, discreparint.

Ad hæc accedit, vt postea Medicus videat atque proponat, an vnus sit affectus ac morbus, an plures illosque enumeret habita ratione partium, temporis aut curationis, quæ adhibenda sit, nam aliquando priores hi erunt morbi, qui nobiliorem partem infestant, posteriores, qui ignobiliorem, vel postremo loco hi qui infimam, priori loco illi, qui summam infestant partem, erunt recensendi, vel verustiores in numero nouos præcedet morbos, vel ii prius erunt numerandi, qui etiam prius ad se medicinam allicient.

Hoc facto si plures erunt morbi, videndum erit ac disputandum, breuiter tamen, an vnus ab altero foueatur atque dependeat ita, vt alter affectus, alter vero causæ rationem subeat, aut quamuis nec hic nec ille relationem aliquam inter se habeant, vnus tamen alterum foueat.

Quod si vnus tantum sit morbus hæc Medicum haud infestabunt, sed statim nullo præexistente impedimento, Medicus descendat ad naturam affectus, illum breuius describat ac simul causas, quæ morbum effecerint & quæ ipsum conseruent enumerabit, sed primo efficientem causam, seu efficientes ipsas, si plures fuerint præterea & materiales causas proponet. Et quoniam aliquando plures vnus affectus possint esse causæ & materiales & efficientes, ob id diligentissime disquirendum est, quæ nam præsentis morbi sint istæ causæ, quod fiet per abnegationem aliarum rerum, quæ causæ esse possunt cum signis ipsis sigillatim explicatis; aliquando etiam accidit, vt sine abnegatione aliarum solis signis præsentis causas astruere valeamus. Vna cum his optimo Medico datur occasio coniungendorum symptomatum cum ipso morbo atque causarum addendarum, cur hoc vel illud symptoma ad hunc affectum in hac vel illa parte præcipue sequatur, quæ res admirationem parit simulque & facilitatem summam ad acquirendam rationem curantem præfagium certum prædicendum: quod hoc in loco succedit. In qua quidē re, nisi distinetissime & morbus & causæ, signaque enucleata fuerint, maxima orietur in præfagiendo difficultas, sin contra hæc optime discussa fuerint, nulla difficultas aut ambiguitas apparebit; nihil enim præfagio ipso familiarius, quod cum non viderint aliqui Medici, solent semper satis ambigue eorum sententiam ita proferre, vt potius Sibyllarum responsa, quam Medicorum prænuntiationes esse videantur, quod tantum decet illos Medicos, qui auram popularem ambientes hoc vnum affectant, vt nunquam in præfagio errasse videantur. Alii vt hoc idem euitent, solent prædictionem ipsam prætermittere. Alii vt cognatis, ægrisque simul satisfaciant, certam salutem semper pronuntiant. Alii contra vt aliquid fecisse videantur, quod magni sit momenti, mortem prædicunt, & loco facilis sanationis difficilem restitutionem prognosticantur, & loco facilioris morbum maiorem faciunt non verbis tantum, sed vultu etiam tortuoso ac nutibus quibusdam impertinentibus. At pius Medius studeat, ne in hæc errata incidat, atque iuste semper, vt ius postulat, & ex conscientia iudicet, si mors timenda sit, si periculum aliud imminet, si fanitas præsens aut tarde

aut tarde aduētura sit, ingenue fateatur: sin dubius incertusque hæreat, illud idem appo-
 sitis rationibus inter se contrariis asserat atque probet: si, quo declinandum sit, ignoret, il-
 lud reliquis Medicis, qui postea dicturi sunt, iudicandum relinquat. Quod si post alios di-
 xerit, nihilque certi habeat, ab his nõ discrepet, quod solent plurimi facere à quodam su-
 perbie fastu acti, vt aliis plus sapere semper videantur. Contra nec illos ego probo, qui
 timore docti ambiguitate etiam rerum succedentium docti ab aliis haud dissentire que-
 ant, quamuis ad hoc agendum morbus ipse & natura omnium rerum dictarum illos im-
 pellat: tam pessima morum ratio, atque male sana pietas inter Medicos, qui operam suam
 venditant nostris temporibus, viget. Non negarim quidem, ne iudicis seuerissimi faciem
 gerat Medicus, in proferendo præfatio, ea, quæ acerbissima sunt, aliqua verborum leni-
 10 tate esse mitiganda; quæ difficillima, pariter oratione mellita esse explicanda: at nunquam
 falsum, nunquam incertum aut contrarium erit dicendum.

Post præfatum aggrediemur curationem, quæ primo in vestibulo continet illa,
 quæ quamuis morbum non profligent, nec causæ naturales sint: tamen morbum nisi op-
 time instituantur, cum fouere, tum etiam augere solent: Quod si ad normam redactæ
 fuerint, summopere ad agendum Medico profunt: hæ res non naturales dictæ sex sunt.
 Inter quas primum locum habeat aer, qui si bonus erit, laudabitur: sin autem consentiat
 aut cum ægritudine, aut cum tempestate, aut cum habitu, is damnandus erit, contrariius-
 que proferendus. In hoc autem diiudicando opus est, vt Medicus sit valde diligens in in-
 20 quirenda naturali loci, ideo oportebit, vt loquatur cum iis, qui loca illa incolunt: similiter
 etiam, vt legat historias: ita enim deueniet in notitiam aeris & naturæ locorum, scietque
 an aer istius illiusque loci pestilens sit aut aliam malam qualitatem in se habeat; semperq;
 talem locum fugiendum esse pronunciet, nisi hanc sententiam mutare faciat ortus ægro-
 tantisq; educatio aliqua ex parte, atque ipsamet consuetudo.

Post hæc diætâ succedit, quæ tanti est momenti, vt vnam speciem medicinæ diæt-
 eticam dictam constituerit. Cibus ergo talis ac tantus instituat exhibendus, qualem
 quantumq; vires ipsæ aut exiles aut robustæ, aut abundantia, aut defectus, aut etiã mor-
 bus ipse requirat. Vires autem in hoc perpendantur, tum naturales tum vitales & totius
 corporis, nec non organorum concoquentium, veluti ventriculi, hepatis ac similibus: tem-
 30 pus ac hora minime prætermittatur: nam hæc variant cum ratione coctionis tardæ cele-
 stisq; tum ratione morbi inuadentis, aut consistentis, aut declinantis vel ratione sympto-
 matum, quæ superuenire solent.

Quod de cibo dictum est, illud intelligas etiam de potu ac de omnibus iis, quibus
 hoc vel illud condiri solet.

Tertium tractandum caput sub se motum & quietem continet, in quo eadem sunt
 obseruanda, quæ in motu, an motus conueniat, an quies, erit dicendū, quæve species mo-
 tus vel quietis, sedendo scilicet aut deambulando competat: quãtum præterea deambu-
 landum aut sedendum sit, quotave hora vtrumq; aut incipiendum aut finiendum, nam
 hæc cum diligentem efficiunt Medicum, tum etiam iuuant ægrotantem.

Somni & vigilæ ratio quarto loco tradenda erit, cuius norma sit morbus, causæ,
 40 symptomata, vires, coctiones atque ipsa consuetudo; quibus diligentissime perpensis, sa-
 tis patebit, qualis quantusve, aut quota hora somnus probetur, aut illius contrarium,
 nempe vigilia.

De repletionem vel sæcum ipsarum retentionem earumq; inanitionem quinto capite a-
 liquot fiant verba, & proponatur quomodo sæces sicciiores sint ducendæ, quibusq; reme-
 diis, an clysteribus, an glandibus, an per ea, quæ per os assumuntur, sintq; inter hæc ea po-
 titius eligenda, quæ validas, quam quæ imbecilles vires habent, nec ne: horū iudices erunt
 vires, morbus, sæces tales aut tot, loca, illorum natura.

Vltimo in loco sunt passiones animi & consuetudo: non dico tamen, quod animi
 50 passiones sint vltimo in loco corrigendæ: neq; hoc dixerim, quia Medicus possit animo
 ægri mederi pharmaco aut alia ratione: sed quando hoc prædixisse opus sit, & cum præ-
 uiderit ægrum moneat, à quibus animi perturbationibus sibi sit cauendum, cognatos-
 que ac assidentes doceat, quæ causæ possint esse aptæ ad has passiones recidendas, quæve
 contrariarum sint affectandæ.

Post res non naturales dictas curatio illa succedit, quæ fit aut euacuatione aut alte-
 ratione. Ista autem quæ euacuatione fit, cum duplex sit, altera enim sanguinis missio-
 ne: altera purganti medicamento fit, videndum erit; an euacuatio conueniat: si
 conuenit, an vtraque, an altera tantum: si vtraque, quænam præcedere debeat.

Euacuationem indicabunt morbi causa materiales, quae praesentes sint, aut quas futuras reputamus tum ex mole, tum loco, tum & motu ipso hanc vel illam euacuationis speciem fore necessariam colliget.

Materiae porro ipsius euacuationis speciem indicabunt locus, in quo materia continetur, motus vel quies.

Quae autem sit euacuationis necessitas, monstrabit, indicata magnitudine morbi vel acutiae vel celeritate, dummodo non contraindicent vires, aetas, locus, tempestas ac ipsa consuetudo, a quibus omnibus dictis & indicationes & contraindicationes tum secundum venae, tum exhibendi pharmaci hanc vel illa hora, hoc vel illo modo, tanta minorve quantitate assumuntur, in quibus indicationibus opus est, ut valde sit exercitatus Medicus, alias quid certo agendum sit, nunquam sciet. Si sectionem venae probauerit consulens Medicus, rationem afferat, cur id affirmet, neque praetermittat ea, quae ob cruditates contentas in ventriculo aut ob faeces alui ante sectionem venae, vel etiam post requiruntur pharmaca lenientia vel clysteres. Et nisi materia furens sit, quomodo sit praeparanda, vicq; sint reddenda laxiores, doceat uti prius scilicet laxanda sit aliis & quo leniente medicamento laxanda, in quo affectus viscerumque natura & consuetudo summo opere obseruentur. Deinde proponenda sunt concoquentia in primis leuiora, deinde validiora, ea tamen eligantur, quae aliquod viscus princeps offendere minime valeant, neque ventriculum subvertere possint: nam in his Medicus quantum fieri potest, iucunditatem affectare debet ac ea ceteris medicamentis praefert, quae aegro sunt consueta & materiam praeparare facillime possunt. Post haec quamnam medicamenta purgantia conueniant, edoceat, nec praetermittat horam, tempus, quantitatemque exhibendi pharmaci: & nisi per se medicamenta haec sint correcta, mentionem faciat de ipsorum correctione & normam corrigendorum tradat, nec omitat dicere an semel vel per vices humores hi sint euacuandi: an per superiora vel inferiora, quorum omnium indicationes teneat tanquam indices certos a materia sumptos & ab ipsius materiei natura a quantitate a loco vel a locis & partibus, a quibus & per quas ducenda sit materia ipsa, vel a morbo, a viribus, aetate, loco, tempestate aut consuetudine ipsa. Post euacuationem, si quid corrigendum erit ratione pharmaci aut restituendum, illud non praetermittatur a Medico consulente. Quo facto deueniet ad enucleationem eorum, quae alteranda immutandaue sunt, nec non ad localia dicta medicamenta, in quibus enumerandis haec obseruabit: primum qualitatem medicamenti, in quo notet, quod semper a leuioribus sit incipiendum, mox ad mediocria & tandem ad grauiora ascendendum: Secundo medicamenti quantitatem non despiciat, modum temporisque terminum tradat: ac si qua in praeparando peculiaris requiratur ratio eandem enunciet, exquisitaque quantum fieri poterit, maxime affectet: horum autem indicationes accipiet a morbo, a parte laesa, a tempestate, loco, consuetudine, medicamento etiam ipso atque illius potissimum consistentia, quarum ut cum ratione loqui videatur, breuiter faciat mentionem. Si post loci immutationem in meliorem naturam totum aliquod adiungendum etiam videatur, illius meminisse oportet & etiam medicamentorum, quibus illud addi possit. Et quoniam inter exquisita validaque medicamenta solent esse thermarum aquae aut epotae, aut stillicidio affusa: aut per forum suffitumque adhibita, ideo & harum aquarum faciat mentionem, quemadmodum & suffituum siccorum & humidorum, vnctionum, potionum diuturnarum & similibus. Haec omnia aut aliqua ex istis minime obstinate despiciat Medicus, sicuti nonnulli facere solent: sed si quae apta videantur, illa aperte approbet, sique contra ab aliis probata ineptiora videantur, ea modeste admodum improbet; quam normam pariter in omnibus aliis propositis medicamentis aut modis curationis.

Et quia aliquando accidit, ut & chirurgica aliqua actio requiratur, ideo & huius meminisse debet in consultatione.

Et quoniam in vno eodemque morbo ac affecto loco plures variaeque actiones proponuntur, ideo Medicus in consultatione semper & leuiorem & certiore atque illam, quae citius capi possit, proponat, cumque medicamentorum leuium, mediocrium, validissimorumque mentionem fecerit, ad aliorum commemorationem transeat ac tandem sectionis aut alterius chirurgici operis, etiam si igne vti oporteret, illum non despiciat; & quoniam acerbissimum medicamenti genus est, illud verbis mitius quam fieri potest, reddat: & si idem sit, potius potentia talem, quam actu ignem proponat, dummodo sanitas certa sit proposita, hanc duobus verbis extollendo, ut medicamenti acerbicatem leniat & finem sermoni aut scripturae imponat.

Emendanda.

Pag. 13, v. 17. leg. hepatis effluuientia. & ib. v. 20 pro linimenta, leg. linamenta. p. 25 v. 43. leg. ol. 10 Compl. ol. myrcana var. f. 2. &c.

Finis huius appendicis.

INDEX

INDEX RERVM IN HOC TRA-
CTATV NOTATV DIGNIORVM, IN QVO PRIOR
NUMERVS PAGINAM, POSTERIOR
versum denotat.

| | | | |
|--|--|---|----------------|
| A. | | Cranium | 49.10 |
| A | A FFECTVS capitis ossis | Cranij lamina | 49.14 |
| | 51.58 | Cura paleatina que | 24.44 |
| | A ffectus capitis cur cura- tu difficiles | Curatioes que reddant difficiles | 47.36 |
| | 47.41 | Cutis num sit consuenda | 52.46 |
| | A ffectus, quos capitis cu- ris pati solet | D. | |
| 51.44 | D ecoctum Iudæi | 35.37 | |
| A ffectus tunicarum inter- narum | 52.16 | D ecoctum consolidar | 88.16 |
| A mbusti definitio. 37.45. causa proxima incen- dij & symptomatum. 38.13. externa & com- burens. ib. 53. causa actu feruens. 39.14. pre- sagium. ib. 26. curatio ibid. | 47 | D ecoctum ad rimas | 46.22 |
| A mbustorum duplex affectio. 37.40. genera qua- tuor. 40.3. distinctio | 41.31 | D ecoctum siccans | 35.27 |
| A qua Apontiana | 9.37 | D iapompholygos descriptio optima | 26.38 |
| A qua virginis | 22.52 | D ifferentia inter excrementum & cerebrum. | 85.10 |
| A que aluminosæ | 9.43 | D ura mater cur continuo pulset | 50.39 |
| A que vitæ tenuitas | 10.39 | E. | |
| A ristotelis error | 60.5 | E mplastica siccantia | 81.2 |
| B. | | E scharæ casus | 24.28 |
| B andiola | 77.46 | E xpletio ulceris | 37.10 |
| C. | | F. | |
| C alamitas Hippocratis | 58.56 | F aciei duplex acceptio | 85.40 |
| C ells ablatio | 36.26 | F istula quid ex Celso. 33.19. Cõditiones eius tres. ib. 23. species. ib. 31. causa. ib. 34. differen- tia. ib. 39. signa. ib. 59. & 34.17. presagium. ib. 46. curatio. ib. | 58 |
| C aloris innati corruptionis cause | 15.57 | G. | |
| C amphora an calefaciat | 40.51 | G angrena quib. luxationib. superueniat | 91 |
| C ancer Celsi | 17.35 | H. | |
| C ancer exulceratus cur sic dictus | 17.22 | H erodotus fabularum inuentor | 60.4 |
| C ancer si sit incurabilis. quid agendum | 24.40 | H ydreleum | 6.40 |
| C ancri tres species secundum Celsum & barba- ros. 17.48. diuisio Galeni. ib. 55. recentiorum. 18.3. signa. ibid. 12. cause. ib. 50. cause mediate plures. 19.8. presagia ibid. 16. curandi ratio. ib. 47 | 19.18 | I. | |
| C ancri incurabiles qui | 24.20 | I ndicatio in vulnere cum contusione | 55.5 |
| C ancri superati signum | 60.26 | I ndicationes quod os sit aperiendum | 73.48 |
| C aput variatur in plenilunio | 47.56 | I ntemperie sicca signa | 5.22 |
| C apitis nature descriptio | 51.20 | I ntertrigo ex attritione | 39.8 |
| C erebri substantia frigidissima & humida. | 22.39 | L. | |
| C hina radix | 86.40 | L abra vulnerum faciei quomodo vnienda. | 86.49. & 87.28 |
| C irurgorum recentiorum error | 13.59 | L amina plumbea | 14.4 |
| C icatricis obducende modus | 88.57 | L aminam conficiendi modus | 14.14 |
| C icatrices caue, & earum cause, & correctio. | 88.57 | L otium siccæ, attenuat & discutit | 9.34 |
| C icatrix prominens. 89.26. rubea. 90.2. nigra ib. 21. dura. ib. 26. rugosa | 90.2. 43 | L upus & malum lupæ quomodo differant | 11.22 |
| C oncameratio | 60.50. | L ythargyrium | 8.50 |
| C onsultationum cause | 94.30 | M. | |
| C ontusionis duplex genus | 57.2. 58.10 | M ater balsami | 70.8 |
| | | M edicamenta humectantia | 5.39 |
| | | M edicamentum Ioannis Baptistæ Romani | 69.39 |
| | | M edicamentum ex gummi elemi | 89.21 |
| | | M edicamentum Hipp. ex farina hordei & aceto | 73.13 |
| | | M edicamentum Albucasi | 53.44 |

I N D E X .

| | | | |
|---|--------|--|----------------|
| Medicamentum Rhasis | 53.47 | Sanguis columbinus | 79.55 |
| Membrana cranium vestiens | 48.46 | Scalpri rasori duplices | 74.50. & 77.28 |
| Membrana sit nigra propter duas causas | 82.15 | Serra, qua antiqui in secandis ossibus utantur | 77.43 |
| Membrana inflammata signa. | 82.42 | Signa comecturalia circa os affectum | 71.10 |
| Membrum quomodo amputandum | 92.7 | Signa quando os patitur integra existente cute | 63.27. |
| Morbi & Symptomata mutilatorum | 92.27 | | |
| N. | | | |
| N ome quid 14.35. eius signa 15.14. subiectum. ib. 46. causa. ib. 47. curatio. 10.10 | | Sinus quid ex Galeno 27.42. correctio definitionis Galeni. ib. 46. causa. 28.6. quadruplex. ib. 25. differentia. ib. 36. signa. ib. 48. praesagia. ib. 50. curatio. ib. 54. & 32.40. deligatio. 30.26. agglutinatio | ib. 37 |
| O. | | | |
| O s quando aperiendum 75.36. quomodo aperiendum | ib. 54 | Sonchus | 20.36 |
| O s in una parte contusum, in opposita frangitur | 59.7 | Spongiola | 36.6 |
| O s capitis tribus modis patitur | 56.30 | Squamma aris | 8.58 |
| O ssa temporum cur sint imbecilla | 50.23 | Stupefacientia ubi sint fugienda | 21.19 |
| O ssis affectio quanta sit, raro cognoscitur | 60.56 | Sutura | 49.41 |
| O ssis harentia | 60.43 | Syringotomum organum | 36.60 |
| O ssis natura | 50.32 | T. | |
| P. | | | |
| P hagedenæ multiplex significatio 11.3. vlcus pestimum. ib. 13. eius causa. ib. 38. definitio. ib. 57. curandi ratio | 12.2 | T rocisci Andronis | 47.23 |
| P ia mater | 51.17 | T rocisci pro suffitu | 47.19 |
| P lambam lotum | 10.12 | V. | |
| P ompholyx lota per linteum quid | 26.51 | V esica perforanda contra Aetium | 43.6 |
| P recipitatum | 9.5 | V lcus quomodo carne expiendum sit | 13.45 |
| P ulveres siccanes | 80.48 | V lcus in Vleere cum intemperie tria reperiuntur | pag. 5 |
| P ulvis Serapionis | 53.38 | vers. 15 | |
| P ulvis pro suffitu | 47.13 | V nguentum ad rimas | 45.52. 46.26 |
| R. | | | |
| R ime quomodo orientur 45.46. causa. ib. 55 | | V ulnus quando & quomodo dilatandum. | 35.58. |
| curatio | 46.8 | 72.25 | |
| R isagalium quid | 24.3 | V ulnus quando sit lethale | 64.40 |
| S. | | | |
| S anatio vulneris | 35.51 | V ulnera temporum non dilatanda, & cur. | 48. |
| S anguis quomodo sistendus | 73.6 | 42 | |
| | | V ulnera capitis quatuor modis à Medicis curantur | 68 |
| | | V ulnera caua non consuenda | 87 |
| | | V ulnera in facie quae consideranda. | 86.34. & 88.22 |

F I N I S